CONSTITUTIONES QUAS JOANNES RENIER EPISCOPUS FELTRIENSIS ET BELLUNENSIS…

Belluno-Feltre

CONSTITUTIONES

QUAS

JOANNES RENIER

EPISCOPUS FELTRIENSIS ET BELLUNENSIS

EDIDIT

IN SYNODO DIOECESANA BELLUNENSI

HABITA DIEBUS 2. 3. 4. JULII

ANNO MDCCCLXI.



BELLUNI

EX TYPOGR. ANTONII TISSI.

1861.

JOANNES RENIER

EPISCOPUS FELTRIENSIS ET BELLUNENSIS

venerabili clero bellunensi

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Constitutiones, quibus beneficia Provincialis Concilii, duobus ab hinc annis Venetiis habiti, in hanc nostram Diœcesim derivare studuimus, quasque in Synodo postridie calendas julias hoc anno congregata tribusque de more sessionibus celebrata jam solemniter promulgavimus, vobis nunc demum, venerabiles fratres, typis editas exhibemus. Ita quæ nostri erant officii, Deo adjuvante, præstitimus; et, magna sane cum animi nostri lætitia, exegimus opus, quod nimis diu, utpote centum et amplius annos intermissum, desideratum est, quodque propterea confidimus in spirituale fidelium nostrorum commodum non mediocriter profuturum. Verum ut fructus, quos inde speravimus, revera percipiantur, necesse omnino est, ut vestra voluntas et sincera animi adhæsio eidem accedat; quid enim leges sine moribus vanæ proficiunt? Quare, etsi nec anteactæ vitæ vestræ ratio, nec alacritas illa, qua Synodo interfuistis legesque in ea latas suscepistis, Nos dubitare de vobis aut diffidere permittat,

non possumus tamen quin vobis per litteras nunc iteremus quæ viva voce præsentibus commendavimus, quum, peracta Synodo, vos domum dimitteremus. Ea igitur, quæ statuta sunt, servate et facite libenter et ex animo, et subditis vestris exemplo prælucete, ut etiam ipsis servanda et facienda commendetis. Hoc unum est, quod modo a vobis summis precibus exposcimus; id enim unum si impetraverimus, curas nostras et sollicitudines felicissimum consecutas exitum, Nosque ad animarum salutem efficacius procurandam et Dei cultum et gloriam uberius promovendam plurimum contulisse, non immerito gloriabimur. Nostram vero vestramque simul operam sua gratia prosequatur et perficiat Deus, sine quo nihil boni fieri potest: ipsi soli honor et gloria in sæcula sæculorum.

Datum Belluni Calendis Octobris.

CONSTITUTIONUM

PARS PRIMA

DE FIDE ET CULTU

CAPUT I.

DE FIDEI PROFESSIONE

Quum fides, ex Concilii Tridentini sententia, * sit *humanæ salutis initium et radix omnis justificationis*, ac proinde totius christiani ædificii basis et fundamentum, congruum est, ut quæ in commissi Nobis christiani populi ædificationem, adsistente Synodo, statuturi sumus, a fide exordiamur.

In primis itaque omnia et singula, quæ sancta mater Ecclesia Catholica Apostolica Romana sive in Conciliorum definitionibus sive in dogmaticis Summorum Pontificum litteris credenda proponit, inter quæ nominatim memorare juvat nuperrime definitum dogma immaculati B. M. V. conceptus, una cum Synodo firmiter credere ac tenere toto animo profitemur.

Quia vero externa fidei professio et omnibus generatim hominibus necessaria est ad salutem, juxta illud Apostoli ** : *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad sa-*

(*) *Sess. VI. cap. VIII.* — (**) *Ad Rom. X. 10.*

lutem, et quibusdam in rerum adjunctis aliquibus personis per ecclesiasticas constitutiones specialiter injuncta est; idcirco statuimus primo et mandamus, ut, qui ad eam explicite emittendam tenentur, ea formula utantur, quam Pius Papa IV præscripsit in Bulla, quæ incipit: *Injunctum nobis apostolicæ servitutis officium.* Deinde autem Parochos et quoscumque alios, quibus animarum cura delata est, vehementer hortamur et obsecramus, ut fideles sibi concreditos ad fidem exterius profitendam quam sæpissime inducant, exemplo scilicet ipsi præeuntes, actum fidei, unaque actus spei, charitatis et contritionis suo quisque loco recitari solitos, elata et distincta voce recitando vel inter Missæ frequentioris diebus dominicis et festis celebrationem, vel post doctrinam christianam iisdem diebus traditam et explicatam. Hortamur item et obsecramus, ut fideles ipsos edoceant, veram ac sinceram fidem, *sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire* *, non custodiri nisi in Ecclesia Catholica Apostolica Romana, et inculcent propterea, ad falsam opinionem tollendam quæ nunc temporis nimium percrebrescere videtur, omnino salvari non posse, qui Ecclesiæ ipsi ejusque principi Romano Pontifici adhærere ac reverenter obedire noluerit.

*) *Conc. Trid. sess. VI. cap. VIII.*

Caput II.

De fidei periculis amovendis

Et quia fidei jactura maximum malorum est ac certum damnationis æternæ discrimen, in id Nobis totis viribus incumbendum ducimus, ut pretiosissimum hoc Dei donum incolume tueamur, et omnia, quibus periclitari posset, arceamus.

Hæresis quidem pestem in gregem Nostrum nec irrepsisse jam, nec facile irrepturam, divina favente miseratione, confidimus. Attamen, cum adversarius non cesset tanquam leo rugiens circuire quærens quem devoret, omni cura et diligentia vigilandum est, ne vel aperto impetu vel occultis insidiis in ovile Domini, cui regendo et custodiendo positi sumus, ingrediatur. Monemus igitur Parochos et confessarios, eos præcipue, ad quos ob locorum qualitatem id maxime pertinet, ut liberiores in re religiosa opiniones, si quas deprehenderint, ea qua par est diligentia simul et alacritate in cunabulis, ut dicitur, interimere festinent; itemque ne patiantur sermones de religione conferri aut quæstiones agitari ab imperitis, prout magno cum fidei periculo vulgo solet sæpe sæpius; uno verbo, ut sedulo invigilent, ne ulla erroris species oboriatur, vel oborta aut invecta propagetur.

Quod si non adeo metu hæresis angimur, dolemus utique vehementissime, impudenter grassari execrandum ac hæresi proximum blasphemiæ scelus, quo Dei ejusque matris Mariæ et Sanctorum ejus ac Mysteriorum nomina summis passim contumeliis vituperantur. Cui tanto tamque gravi malo ut quantum in Nobis est medeamur, Diœcesi huic nostræ hujus tenore constitutionis speciatim indicimus, quæ Provinciale Concilium, Venetiis superiori anno coactum, hac super re monuit et decrevit his verbis: « Parochos et omnes animarum curatores in Domino hortamur, ut hoc de scelere verba ad populum crebro faciant. Quæ ut efficaciora evadant, optamus ut sodalitia ubique locorum instituantur a Pio Papa IX in suo Brevi sub 3 Julii an. 1847 adprobata Indulgentiisque ditata, quæ eo potissimum tendunt, ut tanti flagitii monstrum, quoad fieri potest, e christianis regionibus tollatur. Item publicas preces pro blasphemantium emendatione quocumque die festo in ecclesia recitandas commendamus; atque statuimus, ut Dominica II post Epiphaniam et Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. in singulis omnium Diœcesium Parœciis solemnitas peculiaris celebretur, in qua, præmonito populo jam antea et excitato, fervidissimæ preces fundantur et gravissimus habeatur sermo ad extirpandum blasphemiæ vitium » *.

*) *Conc. Prov. par. I. cap. XIX. §. 1.*

« Quum vero, ut verba ejusdem Concilii usurpemus, virtuti fidei damnum afferat etiam superstitio, Parochos hortamur, ut omni diligentia populum opportune instruant, eumque a quocumque superstitionis actu avertere studeant. » * Et quoniam ab eodem Concilio eodem loco jubemur sedulo invigilare, « ne quis sacerdos vel nimia indulgentia vel turpis lucri gratia communem hanc ruricolarum plebisque ad superstitiosa propensionem alliciat et foveat, » et si quem deprehenderimus hujusce criminis reum pœnis canonicis proprio arbitrio punire; sciant omnes, Nos huic nostro vigilantiæ officio non defuturos, et si quem dicti criminis reum revera deprehenderimus, quod quidem haud futurum speramus, in eum pœnis canonicis severe animadversuros.

Magno denique fidei pariter et moribus detrimento est plurima illa librorum, libellorum, ephemeridum, pagellarum et pictarum vel quomodocumque sculptarum imaginum colluvies, quæ religionis veritates, Ecclesiæ institutiones et morum præcepta multiformiter labefactat, quæque undique in vulgus editur et in dies multiplicatur. Quare ab hac etiam peste omni studio cavendum esse inculcamus. Quod ut facilius obtineatur obtestamur primo patresfamilias et quoscumque alios, quibus aliorum cura commissa est, ut e filiorum cæterorumque sibi subjectorum manibus libros et icones ab

*) *Conc. Prov. part. I. cap. V.*

Ecclesia prohibitas vel quomodocumque pravas et periculosas eripere satagant. Parochos deinde et sacros oratores hortamur et obsecramus, ut de damnis, quæ ex pravorum librorum lectione pravarumque imaginum inspectione proveniunt, frequenter et efficaciori qua possunt ratione verba faciant. Parochis ipsis et confessariis commendamus tertio, ut libros vetitos, quorum novus index quotannis in Calendarium diœcesanum ex præcitati Concilii Provincialis decreto * referetur, fidelibus subtrahant, et, contraria contrariis curantes, alios pro viribus submittant, quibus religionis reverentia et morum honestas promoveatur. Postremo ejusdem Concilii decreto suffulti statuimus, ne « Clerici cujuscumque ordinis ullum librum aut scripta, quæ de religione aut morum disciplina agant, publici juris facere audeant, nisi prius *a Nobis* . . . . licentiam rite obtinuerint ». **

Caput III.

DE FIDEI DOCTRINA TRADENDA.

Verum non ita multum ad fidei donum tuendum profecerimus, si in his tantum avertendis periculis subsistemus, et non etiam omni studio curabimus, ut in ejus doctrina quam diligentissime populus, et præsertim pueri instituantur. Fides enim, quæ sine aliquali saltem

*) *Parte I. cap. IV.* — **) *Ibidem n. 3.*

credendorum cognitione nulla est, quia *fides ex auditu*, * non posset profecto quin paulatim collaberetur, ac demum ignorantiæ tenebris obruta prorsus interiret, si ii, quibus a Christo Domino dictum est: *euntes docete*, ** demandatum sibi munus segnius exequerentur. Quapropter, etsi compertum habeamus doctrinam christianam in hac nostra Diœcesi tradi satis diligenter, nec dubitemus Parochos cæterosque adjutores nostros, semper præ oculis habere, in eo sibi opere adlaborandum esse inter potissima; tamen, quia nostri muneris est pernecessariam hanc institutionem omni nisu fovere et in melius, quoad fieri potest, semper provehere, hæc decernenda putavimus.

1. Quum Provinciale Concilium « Cardinalis Bellarmini Catechismum tanquam doctrinæ christianæ textum pro singulis Diœcesibus admiserit et statuerit, nonnullis tamen cum animadversionibus et adnotationibus Apostolicæ Sedis judicio subjiciendis » ***; præcipimus ut in doctrina christiana tradenda prædictus Bellarmini Catechismus, prædicti Concilii cura mox edendus, ubique et unice adhibeatur, ac proinde alius cujuscumque usum omnino prohibemus.

2. Præcipimus item ut in pueris Catechismo instituendis probe serventur Regulæ, quas singulis Diœcesis regionibus, adhibito

*) *Ad Rom.* X. 17. — **) *Matt.* XXVIII. — ***) *Parte I. cap. II.*

prudentium uniuscujusque regionis virorum consilio, quantum fieri poterit accomodatas brevi edituri sumus.

3. Parochis autem mandamus, ut enixe provideant, ne quis puer nullo vel loci distantiæ, vel temporis importuni, vel negotii exercendi prætextu doctrinæ institutione careat. Quod ut facilius obtineant, hortando pariter ac præcipiendo suggerimus — primo, ut in vicis, si quos habent a parochiali ecclesia longius dissitos, sanctæ doctrinæ instructionem pueris impertiendam curent vel a presbyteris inibi beneficiaria mansione degentibus, quos etiam, si opus fuerit, nostro adigent imperio, vel a laicis probis et idoneis, quos ad sanctissimum opus singularis benevolentiæ signis allicient; — deinde, ut vespertinas doctrinæ christianæ scholas, hyberno tempore privatis domibus alicubi laudabiliter agi solitas, crebris visitationibus, hortationibus, munusculis, aliisque id genus incitamentis sustentent atque promoveant; instituant vero quamprimum et erigant, sicubi in usu non sunt; — tertio demum, ut patribusfamilias serio inculcent, violati etiam paterni officii culpa intimata, ne filios aliosve sibi subjectos pueros nullis a doctrinæ instructione negotiis distrahant, non præsertim pascendis gregibus, quos, et hac de causa, et ad turpiora præcavenda mala, vel ipsi pascant, vel bubulco tradant, quem nonnullæ Communitates majorum instituto publice creant.

4. Mandamus præterea, ex decreto sæpius laudati Provincialis Concilii, ut « Parochi scholas elementares singulis saltem hebdomadis visitent, et provideant quam diligentissime, ut doctrina religionis pueri puellæque apte et convenienter imbuantur; . . . simulque curent, ut ipsi scholarum magistri cum suis discipulis christianæ catechesi in ecclesia intersint; quod utile erit tum ad totius populi ædificationem, tum etiam ad Parochorum adjumentum » *. Qua nimirum de causa idipsum præstare cupimus etiam puellarum magistras, quas, sive publice doceant sive privatim, et promptiores per se ad piissimum opus fore confidimus, et nihilominus excitari a Parochis et hortari mandamus.

5. Clericos vero, vel in Seminario degentes vel domi vacationum tempore commorantes, ecclesiæ interesse ac Parochis et catechetibus in christiana doctrina diligentissime inservire districte jubemus, hoc denuntiantes, Nos eos, si secus fecerint, ad sacros Ordines non esse omnino admissuros. — Nullum item presbyterum, quem legitima aliqua causa non retineat, huic tanto sacerdotalis ministerii officio defuturum et quam potest operam christianæ doctrinæ non impensurum pro certo habemus.

6. Statuimus denique, ut quivis Parochus

*) *Parte I. cap. II.*

diebus dominicis et festis, exceptis iis tantummodo, qui in Regulis nostris superius citatis indicabuntur, post Catechismum a pueris in classes distinctis recitatum, pueros ipsos in unum colligat, eisque modo unum modo alterum doctrinæ caput tum interrogando tum exponendo explicet sermone claro et simplici et auditorum captui quanto melius potest accomodato. Puerulis deinde junioribus in sacristiam vel alio ad precum formulas et faciliora fidei elementa discenda amandatis, ampliori et elatiori adultos instruat catechesi, in qua et sibi normam proponat Catechismum Romanum, et lingua utatur vernacula, quin tamen nec loci nec rerum, quas loquitur, dignitatem et sanctitatem obliviscatur. Cui quidem catechesi Concilium Provinciale jubet « Parochos magnam curam et sollicitudinem adhibere ut omnes parochiani intersint; quod facilius obtinebunt, si bene parati ad dicendum accedant, et munus suum eo, quo par est, zelo, pietate, scientia, cæterisque dotibus necessariis adimplere studuerint. » *

*) *Parte I. cap. II.*

Caput IV.

De verbi Dei prædicatione.

Puerorum in christiana doctrina eruditionem et adultorum catechismum consequitur et quodammodo perficit verbi Dei prædicatio, qua potissimum Jesu Christi Evangelium populus edocetur, et ad fide tenendum exprimendumque moribus excitatur, et quam propterea non minori animi intentione commendare et fovere certisque regulis moderare debemus.

Parochis igitur cæterisque omnibus presbyteris et clericis nostris enixe inculcamus, ut in hanc sacerdotalis muneris partem excolendam et probe adimplendam toto animo omnique studio semper incumbant. Non equidem ad grandius illud concionandi genus provocamus, quo solemniori quodam orationis apparatu et splendidiori stylo e celebrioribus, ut dicitur, pulpitis verbum Dei prædicatur; etsi non mediocri certe gaudio afficeremur, si cui e nostro etiam clero ejusmodi ministerii prosequendi inoriretur voluntas, et ad recte obeundum vires sufficerent. Illud e contra enixius urgemus, quod cum Parochorum officiis arcte conjungitur, et quo Evangelii dogmata et præcepta humiliori ac faciliori oratione populo exponuntur et inculcantur. Qua quidem in re non possumus quin referamus hoc Tridentini Concilii decretum : « Archipresbyteri, plebani, et quicumque parochiales vel alias animarum cu-

ram habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis .... cum brevitate et facilitate sermonis » *.

Ut autem ea facilitate loquantur Parochi, qua et decet et Tridentina Synodus præcipit, ac simul ne inania prorsus verba populo objiciant, sacros Evangelii præcones hortamur, ut Grammatices quidem regulas et linguæ proprietatem in dicendo servent, sed ne a communi loquendi usu nimium discrepent, itemque ut bene parati tum quoad res tum quoad formam ad dicendum accedant. Brevitatem pariter a Tridentino præceptam definientes hortamur ne quis tres horæ quadrantes concionando prætergrediatur. Hortamur item ac omnino præcipimus, ne quis unquam sibi aliud prædicando proponat, aliudve spectet, quam animarum salutem; ac proinde ut a quovis indicio et verbo, quo prudentia vel charitas lædi possit, prorsus caveat.

Est et aliud christianæ eloquentiæ genus, aliquid cum præcedenti commune habens, et tamen suis sibi propriis exactum legibus, quod a sacris exercitiis a S. Ignatio de Lojola, ut perhibent, institutis nomen accepit. Magna quidem cum animi nostri exultatione annuntiamus, Provinciale Concilium singulis Provinciæ hujus Diœcesibus sacrorum exercitiorum societatem commen-

*) *Sess. V. cap. II de Refor.*

dasse, qualem Nos in duabus nostris Encyclica diei 16 Novembris an. 1856 instituimus; earumque Dioeceseon societates, vel jam erectas vel brevi erigendas, mutuo inter se charitatis vinculo ejusdem Concilii hortatu constrictas, mutuam sibi opem allaturas et communicatis agminibus pro omnium omnes salute pugnaturas. Quocirca multo ferventius congregationi nostræ jam adnumeratos hortamur ut constantes perseverent, et obsecramus cæteros, juniores præsertim, ut quamprimum adscribi velint et mereantur; utrosque vero invitamus, ut iterum legant quæ hac de re jam ediximus pastoralibus litteris sub die 27 Januarii an. 1857, et 24 Octobris an. 1858.

Utraque tamen prædicatio, ut recte fiat, legittima indiget missione, *quomodo* enim *prædicabunt, nisi mittantur*? * Quare statuimus ut nemo dehinc prædicandi munus primum suscipiat, nisi ei facultas a Nobis data sit; ut nemo quadragesimalem vel novendialem vel alium hujusmodi prædicationis cursum extra suæ parœciæ limites ineat, quin Nobis aut Vicario nostro id prius innotescat, et benedictionem saltem a Vicario foraneo illius loci, in quo prædicaturus est, vel etiam a Parocho singulis vicibus delegando, impetraverit; ut nemo alterius Diœcesis invitetur aut admittatur ad prædicandum sine nostra vel nostri Vicarii licentia. Clerici minores et subdiaconi prædicare nunquam permittantur,

*) *Ad Rom.* X 15.

præterquam ad eloquentiæ exercitationem in aliqua urbis ecclesia a Nobis designanda, et eorum sermonibus a Seminarii moderatore vel præceptore aliquo prius inspectis et adprobatis.—Laici verba in ecclesiis facere prohibentur a Concilio Provinciali. *

Cæterum omnes, quicumque ad Evangelii præconium vel assumpti sunt vel assumi volunt, admonemus, Evangelium prædicari non solum verbis, sed etiam, immo potissime et efficacissime, moribus et exemplis. Quare requirimus in primis ab ipsis et instantissime postulamus, ut sese in omni vitæ habitu et ratione irreprehensibiles exhibeant, neve opere destruant quod sermone ædificare nituntur; multo enim magis proficiunt prava exempla in destructionem, quam quævis vel fervidissima peroratio et exortatio in ædificationem. Deprecamur igitur eos et in Domino obsecramus, ne sibi dictum velint: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt.* **

Caput V.

DE DIEBUS FESTIS, PROCESSIONIBUS ET JEJUNIIS.

Hactenus quæ ad fidem profitendam, tuendam, riteque docendam propius pertinere visa sunt constituimus; nunc ad cultum gradum fa-

*) *Parte III cap. XXV.* — **) *Matth. XXIII. 2.*

cimus, qui naturali ex ea generatione dimanat, eamque mutua relatione fovet et confirmat.

I. Cultus porro, quo Deus publice a fidelibus honorari debet, constat præcipue diebus festis, quos vel Deus ipse sibi sanctos voluit, vel Ecclesiæ illi dedicavit auctoritas, quique propterea vel divina lege vel ecclesiastica observandi sunt et sanctificandi. In quo vero hæc festorum dierum observatio et sanctificatio posita sit, Deus ipse declaravit dicens: *Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo. Sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.* *

Quare fideles nostræ curæ commissos obsecramus et obtestamur, ut ab omni opere, quod servile dicitur et est, iis diebus abstineant, et Dei præcepto obtemperent, quo quidem non tantum ad pietatis et religionis actum revocantur, sed et nimio laborum pondere atque avara interdum dominorum sævitie sublevantur. Parochis vero mandamus, ut artifices omni studio atque instantia a suis operibus in tempus sanctum continuandis revocent, et agricolas a quovis labore itinere et opera opportune et importune deterreant, ipsis edicentes hac nimirum arte cælestem agris benedictionem promereri; scriptum est enim: *Custodite sabbata mea, et dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur.* *

*) *Lev. XXIII. 3.* — **) *Levit. XXVI. 2.*

Verum non satis est a servilibus abstinere, sed oportet præterea pietatis operibus assidue vacare; secus enim non sanctificata dies, sed projecta et perdita dicenda esset. Itaque sedulo instent Parochi, ut fideles Missæ, præsertim parochiali, intersint; ut ad verbi Dei prædicationem et Jesu Christi doctrinam avide percipiendam concurrant; ut omnibus sacris functionibus et Ecclesiæ cæremoniis reverenter assistant; ut ad saluberrima Pænitentiæ et sanctissimæ Eucharistiæ sacramenta frequenter accedant; ut denique cæterum festorum dierum tempus piis lectionibus, piisve colloquiis, alternisve aut secretis precibus occupent.

Ne autem quieta hæc et tranquilla pietatis officia profanus turbo dissipet aut impediat, optamus maxime petimusque, ne mercatus fiant, ne spectacula exibeantur, ne clamosæ ducantur venationes, neve alia id genus, præsertim circa templa, diebus festis agantur, quibus populus a Dei servitio facile distrahitur.

Eadem de causa præcipimus, ne in ulla unquam Parœcia sacræ festorum dierum functiones, et christianæ præsertim doctrinæ eruditio et catechesis prætermittantur, vel etiam consuetis horis mutentur, cujuslibet occasione solemnitatis et festivitatis, quæ in alia aliqua Parœcia celebretur. Immo etiam præcipimus ne illis diebus parochiales functiones in iis filialibus aut campestribus ecclesiis peragantur, ad quas major parochianorum pars convenire non possit, vel qua-

rum causa verbo Dei et christianæ institutione doctrinæ fraudari eos necesse sit. Quare earum dedicatio et Sanctus titularis e die festo in profestum semper transferantur, translata etiam Missa, si quæ ibi illis diebus esset ex legato celebranda. Præcipimus insuper ne parochiales functiones in pluribus ejusdem Parœciæ ecclesiis eadem hora fiant, nisi vicorum magnitudo aut loci distantia aliud persuadeat.

Quamvis porro festorum observantiam et celebritatem quam maxime augeri et promoveri summopere aveamus, ad præcavendos tamen abusus, qui ex inconsiderata quorundam devotione et pietate oriri facile possent, mandamus ne ullibi nova festa sine nostra in scriptis licentia instituantur, et si quæ alicubi usurpantur, quæ non sint canonica auctoritate sancita, nulla ea nulliusque obligationis esse declaramus.

Cæterum omnibus, quos pastoralis nostra sollicitudo complectitur, meditanda proponimus præclara hæc verba S. Joannis Chrisostomi: *Festa non concurrentium multitudo facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ dapsilitas, sed cura animæ: maximum enim festum est conscientia bona.* *

II. Diebus festis eas jungimus solemnes supplicationes, quas processiones vocant, et quas non solum christiana sed etiam hebraica commendat antiquitas; quum et hilari pompa a

*) *Hom. 3, de S. Anna.*

Maria Moysi sorore, et terribili a Josue, et magnifica a David ejusque filio Salomone in Dei honorem vel divino mandato ductas fuisse legamus.

Hanc etiam itaque insignem divini cultus portionem rite perfici vehementer cupientes, hortamur Parochos, ut fideles opportune edoceant et admoneant, quæ et quanta processionibus non solum interna animi devotio, sed corporis quoque modestia et gravitas adhibenda sit; ita tamen, ut maximam et omnimodam reverentiam iis concilient, in quibus augustissimum defertur Eucharistiæ mysterium. Parochis vero ipsis cæterisque omnibus presbyteris et clericis mandamus, ne ulli unquam processioni sine veste talari, superpelliceo et, ubi ritus permittat, bireto interesse audeant, dummodo temporis aut viarum iniquitate prorsus non impediantur.

Mandamus item Parochis, ne noctu, neque ad loca nimis longinqua, neve ad montium cacumina, ubi ecclesia aut oratorium non adsit, processiones agant vel agi sinant; simulque statuimus ut, si qui figere in montium verticibus cruces velint, non eo Parochi ad benedicendas ascendant, sed in parochiali benedictas ecclesia aliis eo deferendas figendasque dimittant.

Optamus etiam ne processiones ducantur extra fines Parœciæ; duci vero extra fines Diœcesis omnino prohibemus; itemque vetamus, ne quatuor horarum spatio diuturniores agantur, solemnibus tamen Rogationum supplicationibus

exceptis. Si quæ alicubi in usu est votiva processio hisce constitutionibus contraria, commutetur.

Mandamus denique, ne, præter necessariam refectionem, ullus unquam cibi aut potus in processionibus usus permittatur; ne processiones ipsæ cujusvis nutu et voluntate ad benedicendum passim sistantur, sed statutis tantum vel communi consilio statuendis locis benedictiones fiant; ne demum, cum ad propositam metam pervenerint, dissolvantur, sed instructæ ad ecclesiam redeant, unde discesserant.

III. Huc pertinet etiam jejuniorum religio, qua certos anni dies ad præcipua humanæ Reparationis mysteria salubrius recolenda obstrinxit Ecclesia, suo quidem præcepto, sed auctoritate et institutione prorsus divina. Cum enim sacræ utriusque Fœderis paginæ eam passim enixe commendent, et constanti sanctissimorum virorum ac totius populi praxi a Moyse usque ad præcursorem Domini Joannem indesinenter continuatam demonstrent, inficiari certe non possumus, divinum aliquid ipsi inchoandæ et in duræ cervicis populo conservandæ adfuisse. Quum vero ipse Dominus Christus Jesus voce eam confirmasse suoque exemplo consecrasse legatur, non possumus omnino, quin Ecclesiam nonnisi divino afflatu eam frequentare jam ab exordiis cæpisse, suisque filiis perpetuo observandam præcepisse credamus. Quare non sane miramur, tantam Dei gratiæ et misericordiæ impetrandæ vim jejunio inesse, ut Judæis toties

peccantibus, et humiliantibus deinde in jejunio animas suas, toties Deus se placatum præbuerit. Illud utique mirandum et nunquam satis dolendum, esse plurimos Ecclesiæ filios, qui hoc ejus tam sanctum tamque salutare præceptum vel passim negligant, vel etiam aspernantur.

Cui quidem malo ut quoad in Nobis est obviam eamus, mandamus Parochis, ut quamlibet jejunii diem præcedenti Dominica populo denuntient, eumque de gravi jejunandi obligatione graviter admoneant, et quandoque etiam quæ sit legis hujus intentio et natura sedulo edoceant, optimorum hac in re Theologorum sententiis, a Petro Scavini egregie collectis, pressim inhærentes.

Mandamus item, ut, ubi invectus abusus id exigat, Parochi et catechetes diligenter inculcent, cibos die Veneris vetitos prohiberi etiam Sabbato cujusvis hebdomadæ, nec posse eo die comedi, quin gravis culpa patretur.

Patres vero familias et caupones vehementer hortamur et in Domino obsecramus, ut præcepti hujus ejusque tum sanctitatis tum gravitatis meminisse semper velint; nec largiorem aut nimia facilitate subditis, aut lucri cupidine iis, *quorum deus venter est*, peccandi licentiam præbeant vel occasionem.

Si quis autem valetudine ita infirma vel incerta se habet, ut diebus esurialibus a carnibus sibi abstinendum non esse arbitretur, carnibus tamen vesci non audeat, nisi timoratæ conscientiæ me-

dicum, vel Parochum, aut confessarium prius consuluerit.

Omnibus denique nostris in Christo filiis paterna sollicitudine cum Joele prædicamus: *Sanctificate jejunium. Jejunium* porro *sanctificare*, prout interpretatur divus Gregorius hom. 16 in Evangelia, *est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.* Jejunio igitur et carnis mortificationi charitatis et religionis opera adjungamus; sic enim jejunium nostrum sanctificaverimus, cælique vias planiores nobis et expeditiores straverimus.

Caput VI.

DE TEMPLIS.

Alteram cultus publici partem præcipuam ecclesiæ seu templa constituunt, in quibus benignissimus Deus, quem quidem *cælum et cæli cælorum non capiunt*, specialiter habitare non dedignatur, ut scilicet *oculos suos aperiat et aures suas intentas habeat in orationem* eorum, qui eum ibi deprecantur. Dignum igitur et justum est christianos homines tantæ Dei benignitati pro viribus respondere, et domum ejus promptissimo animo ac splendidiori, qua possunt, magnificentia et nitore exornare, ut vere cum Psalmista possint dicere: *Domine, dilexi decorem domus tuae.* (Ps. 25, 8).

Nos vero non possumus hic, quin plures Diœ-

cesis hujus Parœcias plurimum commendemus, quæ ecclesiis ornatius exædificandis reficiendisve plæclaram operam, difficilibus quamvis temporibus, impenderunt vel adhuc impendunt. Quam quidem religionis et pietatis laudem a quibusdam promeritam cæteris incitamento esse confidimus et optamus, ut pari zelo inflammati Regem cœlorum et Dominum habitare domos apud se non patiantur, quas vel ipsi despicerent.

Cum tamen templorum etiam forma et ornatus ad cultum pertineat, cui Nos ex officio nostro invigilare debemus, Concilii Provincialis decreto obtemperantes exigimus, ut, « si novum aliquod templum extruendum est, ejusdem iconographia *Nobis prius* exhibeatur. » *

Omnia vero, quæ in pastorali Diœcesis lustratione quoad sacras ædes sacramque supellectilem imperavimus, facta esse arbitrantes, Parochos cæterosque ecclesiarum rectores et administratores hortamur, ut cuncta in ecclesiis munda, suoque ordine disposita et decore nitentia semper esse velint. Quod si immundum aliquid et sordidum, aut lacerum, aut quomodocumque indecens alicubi exstiterit, jam nunc in sacris id cæremoniis adhiberi prohibemus. Scalas autem mobiles, aliaque id genus impedimenta in ecclesiis asservari vetamus; et subsellia ipsa ita collocari jubemus, ut ad altaria et alia crebrioris usus loca liber semper aditus pateat; nullumque

*) *Conc. Prov. part. III. cap. XXV.*

dehinc subsellium sine nostra licentia privatum privatis poni permittimus.

Volumus etiam, ut ecclesiarum nuntii, et qui in ecclesiis quocumque nomine famulantur, Parochis in omnibus, quæ ad sacras attinent functiones templique ministerium, obediant; quod si renuerint, vel pravis notentur moribus, ab officio removeantur.

Mandat autem Provinciale Concilium, « ut circa templa neque tabernæ adsint, neque stabula, neque domus pejoribus usibus destinatæ. » *

Et Benedicti XIV constitutionem referens, qua præcipitur, ut in ecclesiis *musicus cantus ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet*, mandat præterea, ut Censuræ ecclesiasticæ, in quavis Diœcesi instituendæ, « subjiciantur musicæ antequam publice exhibeantur in templo. » **

Nec vero materialem tantum ac externam in templis munditiem et decentiam requirimus, sed multo magis multoque impensius internam animi puritatem ac sinceram fidelium devotionem. Domum quippe Dei, sicut maxime decet sanctitudo, ita eorum, qui eo conveniunt, irreverentia potissimum dedecet. Templum sane Hierosolimæ, quamvis argento et auro ac peregrinis lapidibus splendidissimum ac pretiosissimum, eos tamen, qui nec alienis ab eo negotiis illud profanaverant, speluncam fecisse latronum Christus

*) *Conc. Prov. par. III. cap. XXV.* — **) *Idem ibid.*

Dominus increpavit. « Magnopere itaque curent Parochi, ac fidelibus sæpissime inculcent, ut in ecclesias convenientes in omnibus se gerant sicut decet sanctos, qui in loco sancto stant; mulieres autem serio admoneant, ut, juxta præceptum Apostoli, *velato capite* adsint; » * et ne ulli aut distractionis, aut irreverentiæ, aut scandali præbeatur occasio, omnes, quibus nihil in musica negotii est, nihil in ecclesiæ ministerio, ab orchestra et a sacristia, nostra etiam auctoritate freti, prohibeant.

In reliquis rubricas Missalis ac Ritualis Romani fideliter servari mandamus.

Caput VII.

DE CULTU SANCTORUM, DEQUE RELIQUIIS ET IMAGINIBUS.

Præter latriæ cultum, quo Deus et sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, nec non veræ Crucis lignum et alia Passionis Dominicæ instrumenta certis diebus publicæ venerationi proposita adorantur, exhibetur etiam hyperduliæ cultus Dei genitrici Mariæ, et duliæ Sanctis. Quam cultus distinctionem etsi non dubitamus a Parochis in suis catechesibus proponi populo et explicari, tamen, quia maxime interest ne superstitiones hac in re vel errores irrepant, eos et

*) *Concil. Prov. par. III. cap. XXV.*

Nos hortamur, ut probe et diligentius fidelibus insinuent, Deiparæ Virgini cæterisque Sanctis non adorationem sed venerationem tantummodo deberi, eosque non ut gratiarum datores, sed ut impetratores esse invocandos. Cum nihilominus apud Deum plurimum possint, sibique devotos validissime tueantur, eorum etiam veneratio et invocatio omni studio inculcanda est.

Quia vero jam ex oculis sublati sunt, et segniter animus invisibilia persequitur, nisi re aliqua sensibili alliciatur et juvetur; idcirco Ecclesia, quo stabilius et vividius ad eorum merita invocanda et virtutes imitandas animos excitaret, reliquiarum et imaginum usum et venerationem invexit. Etiam iis igitur concilianda est fidelium reverentia et observatio, ita tamen, ut superius allatæ cultus distinctionis ratio habeatur.

Quare principem semper locum teneant Christi Domini Redemptoris imagines, præsertim cruci affixi, quas super quovis altari collocandas ita præcepit Ecclesia, ut sine ipsis offerri Missæ sacrificium vetuerit.

Secundo censentur loco sanctorum Martyrum reliquiæ, quæ proprio inclusæ sepulcro in altarium mensa reponuntur, et super quibus sacrosancta et immaculata Hostia quotidie immolatur. Hisce adnumerandæ sunt eæ Sanctorum reliquiæ, quæ thecis, Præsulis alicujus sigillo munitis, includuntur et populi venerationi exponi solent. De quibus quidem hæc mandat Provinciale Con-

cilium : « Parochi aliique ecclesiarum rectores accuratum cathalogum conficient omnium reliquiarum, quæ in eorum ecclesiis custodiuntur, unde constet num omnes reapse recognitæ et approbatæ fuerint ab Episcopo. » * Nos vero mandamus, ne in festo alicujus Sancti ejus reliquiæ populo ad venerandum exhibeantur e theca, in qua aliæ aliorum reliquiæ sint; neve quis Sanctorum reliquias, mercede quovis prætextu accepta, audeat distribuere.

Ultimo loco Sanctorum habentur imagines ; quas, ut in ecclesiis collocari permittamus, pietatem præseferre et ad pietatem excitare volums; quasque propterea, tum adprobandas a Nobis vel nostro delegato, tum etiam benedicendas, Nobis exhiberi jubemus antequam publice in templis exponantur. Si quod vero in aliqua ecclesia exstat sculptura vel pictura opus insigne, vendi illud, aut quoquo modo alienari, aut etiam refici sine nostra licentia prohibemus, cum pretiosa hæc ecclesiarum nostrarum patrimonia integra ipsis conservare magnopere Nobis cordi sit.

Imagines vero quæcumque aut monumenta iis, qui ab Ecclesia inter Sanctos vel Beatos relati non fuerint, in ecclesiis non ponantur, nisi Nos permiserimus.

---

*) *Parte III. cap. XXVI.*

Caput VIII.

De cœmeteriis.

Ad cultum publicum pertinere quodammodo dicenda sunt etiam cœmeteria, de quibus quæ statuenda habebamus jam constituit Provinciale Concilium, cujus propterea decreta e vigesimo sexto tertiæ partis capitulo hic subjicimus.

« Cœmeteria honore digna sunt, quippe quæ peculiari ritu benedicta eorum exuvias servant, qui filiorum Dei adoptionem adepti et in communione Ecclesiæ defuncti dormiunt in Christo. »

« Itaque cœmeteria sint muro undique circumsepta; in medio exstet crux; si vires suppetant, exstruatur cappella, in qua pro defunctis et preces fundi et Missæ celebrari queant. Insuper claudantur janua, et a sordibus expurgentur. Nulla intus sint animalium pabula, aut arborum consitiones: succrescentes herbæ falce recidantur, ibique crementur, cum in profanos usus insumi nequeant. »

« A cœmeterio arcendi sunt ii omnes, qui tanquam ecclesiastica sepultura indigni notantur in Rituali Romano. At si in hac re aliquid contingat, quod Parocho negotium facessere possit, consulatur Episcopus. »

« Catholicorum cœmeteria a cœmeteriis acatholicorum omnino separata sint, et, quantum fieri potest, alia sit introitus janua. »

« Defunctorum corpora honeste induta sepe-

liantur. Et, ne occasione funerum querimoniis locus detur, curent Parochi, ut jura funerum ab Episcopo adprobanda, in varias classes distribuantur, quarum eam, quæ magis arridet, familiæ eligant. »

CONSTITUTIONUM

PARS ALTERA

DE SACRAMENTIS

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quemadmodum fides est christiani totius ædificii, quod publicus Dei cultus quibusdam quasi ornamentis condecorat, basis et fundamentum; ita « sanctissima novæ Legis Sacramenta a Christo Domino instituta sunt veluti columnæ illæ septem, quas divina Sapientia excidit ad sustentandam a se ædificatam Ecclesiæ domum. »* Sicut enim, ex superius allata Tridentini doctrina, fides est *radix omnis justificationis*, sic, eodem docente Concilio, Sacramenta sunt media, *per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* *

Quamobrem hortamur fideles ac toto cordis affectu obsecramus, ut, ad malitiæ æternæque perditionis barathrum effugiendum, hisce justitiæ sustentaculis fortiter innitantur, avideque necessaria hæc salutis columina amplexentur. *Ministros* vero *Christi et dispensatores mysteriorum Dei* nec defuisse tanto sui muneris offi-

*) *Conc. Prov. par. III. cap. XXII.* § 1. **) *Sess. VII. in proœmio.*

cio nec defuturos speramus; immo vero confidimus, eos zelo, charitate et patientia quasi certaturos inter se, *ut fideles inveniantur*, neque solum ut ad Sacramenta sponte venientibus præsto sint, sed ut reluctantes etiam et procrastinantes alliciant et prudenter compellant.

Monemus porro, Sacramenta, quæ in ecclesia administrari possunt a Parochis, in ecclesia a Parocho vel ejus delegato, et quidem talari veste, superpelliceo et stola induto, generatim administranda esse, ritibus omnibus, quos Rituale Romanum præscribit, diligenter servatis, cum *prætermitti sine peccato non possint, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat.* *

Et quia potest quavis hora contingere, ut Sacramenta ministranda sint, ideo animarum pastores aliosque Sacramentorum ministros etiam atque etiam hortamur, ut mundi ab lethali culpa semper esse velint, ne indigne ministrare cogantur; « meminisse enim semper debent, Sacramenta... impure ea ministrantibus æternam perniciem et mortem afferre: *sancta enim*, quod semel atque iterum, ac sæpius admonere oportet, *sancte et religiose tractanda sunt* ». **

Etsi autem modicam aliquam remunerationem vel oblationem collati Sacramenti causa acceptari, præsertim si longa suffragetur consuetudo, non improbamus; tamen hoc etiam monere volumus, omnem omnino turpis lucri speciem et

*) *Catech. Rom. par. II. cap. I. n. 18.* **) *Idem ibidem, n. 26.*

quæstus suspicionem in Sacramentorum administratione esse effugiendam.

Nemo denique in aliena parœcia, nisi proprio ejusdem pastore mandante vel permittente, Sacramenta audeat ministrare, sub pœnis a Nobis pro meritis infligendis.

Caput II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. Ita quidem in Joannis Evangelio (III. 15) nostræ salutis auctor et largitor Christus Dominus: quibus sane verbis se in Baptismo unicum æternæ felicitatis aditum aperuisse, ac proinde omnibus indeclinabilem Baptismi necessitatem effecisse satis aperte declarat.

Omnis igitur cura et sollicitudo Christifidelibus adhibenda est, ut nullus infans ex hac vita sine Baptismo decedat. « Hinc monendæ sunt matres, ut caute infantes in utero gestent, ne abortus periculum subeant; patres vero familias, ut recens natos filios ad ecclesiam quantocius deferri et solemnibus cæremoniis baptizari curent, nec unquam longius intervallum, quam octo dierum, a die natali præterlabi sinant. » *

Si vero mortis periculum instet, Parochus vel

---

*) *Conc. Prov. par. III. cap. I. § 2.*

ejus delegatus, aqua de sacro fonte sumpta et clauso vase delata, infantem domi baptizet, veste tamen talari, superpelliceo et stola, si fieri potest, de more indutus. « Et quoniam sæpe incidit necessitas privati Baptismi conferendi, ideo Parochi crebro publice fideles doceant et explicent materiam, formam ac legitimum baptizandi ritum: imprimis vero de hisce omnibus rebus obstetrices accurate erudiant » *; ideo scilicet ne Baptismus a rudibus invalide conferatur. Quicumque tamen quacumque ex causa domi «baptizatus fuerit, quamprimum fieri poterit, ad ecclesiam deferatur, ut a Parocho, facta prius diligenti inquisitione de collati Baptismi validitate, ommissi ritus et cæremoniæ expleantur. Si prudens dubium oriatur de validitate Baptismi, puer denuò sub conditione baptizetur. » **

Cæterum, nullo interveniente impedimento, « Baptismus solemniter non alibi administrandus est, nisi in ecclesiis, in quibus exstat fons baptismalis. »

« Infantibus ne imponantur nomina fabulosa et impiorum Gentilium, sed eorum tantum, qui Sanctorum numero adscripti sunt, ut pueri, cum ætate processerint, eorum et exemplis ad pie vivendum excitentur in terris et assiduo patrocinio protegantur in cœlis. »

« Patrini, cum sint fidei christianæque vitæ pro puero sponsores ac fideijussores, tales deli-

---

*) *Conc. Prov. par. III. cap. I.* **) *Idem ibidem.*

gantur, qui probitate ac pietate præstantes huic officio sint idonei; nec plures quam unus, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una, baptizatum de sacro fonte suscipiant. »

« Habeant præterea Parochi, diligentissimeque custodiant librum baptizatorum juxta formulam Ritualis Romani accurate confectum, » * in quo mandamus ut baptizatos statim a Baptismi collatione describant.

« Eademque diligentia (ne alibi repetatur hæc admonitio) conficiant et custodiant libros, in quibus describantur nomina eorum, qui suscipiunt sacramentum Confirmationis, qui Matrimonio junguntur, et qui ex hac vita decedunt, ut in eodem Rituali præscriptum et designatum est; neque se ab hoc munere exemptos putent eo quod exstent libri civiles. » ** Quod quidem canonicorum librorum præceptum speciali iteramus et urgemus instantia, quia maxime opportunum, immo et necessarium vel ex eo judicamus, quod in potestate Ecclesiæ sunt tantum libri canonici, civilium autem jus et arbitrium habet civilis Respublica.

Inculcamus denique Parochis stricteque injungimus, ut sacrum Baptismatis fontem, in quo fit animarum ad gratiam et vitam regeneratio, mundum ac decorum omni ex parte esse velint, prout quidem in sæpius laudato Rituali præcipitur.

---

*) *Conc. Prov. loco cit.* — **) *Idem ibidem.*

Eos vero, qui pueros ad Baptismum deferunt, vel a Baptismo referunt, graviter admonemus, ne ad tabernas, nisi ex longi itineris necessitate, divertant; id enim sine magno puerorum ipsorum periculo vel ob cœli inclementiam vel ob alimenti moram vix esse potest.

Quoad ea, quæ in hoc de Baptismo capite non attigimus, Parochos ad Rituale Romanum remittimus, in quo eos hortamur ut attentius ac iterate legant præclaram *de sacramento Baptismi bene administrando* instructionem.

Caput III.

De sacramento Confirmationis.

Eam spiritus vitam et Christi militiam, in quam per Baptisma renascimur et cooptamur, firmiorem in nobis et animosiorem efficit sacramentum Confirmationis, *quo*, ut Doctores definiunt, *baptizatis additur robur tam ad firmiter credendum, quam ad fidem ipsam constanter fortiterque propugnandam*, communicata scilicet infusi Spiritus Sancti virtute. Communicari enim in hoc sacramento Spiritum Sanctum, ac per virtutem ejus addi robur et animum ad Christi fidem voce et moribus strenue profitendam, certissime novimus ex ipsis Christi verbis illud per promissionem instituentis: ait enim: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes . . . .*

usque ad ultimum terræ. * Et sane Apostoli, in quibus hujusmodi Confirmationis mysterium primitu peractum est quum *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto,* ** Apostoli, inquimus, prosilientes e latibulis, in quæ se timidi abdiderant, exstiterunt subito intrepidi atque invictissimi Christi Domini testes *in Jerusalem, et in omni Judœa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* ***

Cum igitur tanta sit sacramenti hujus efficacia et ad vitam æternam utilitas, nostros in Christo filios vehementer hortamur et deprecamur, ut omnes tanto salutis præsidio liberos suos muniri curent et expostulent; simulque ad rectam et quo fieri potest salubriorem ejus administrationem hæc statuenda ducimus et statuimus:

1. Parochi neminem solito admissionis testimonio Nobis confirmandum proponant septennio minorem, vel de sacramenti natura et effectibus non satis instructum.

2. Quare cum primum ex nostris litteris pastorali visitatione parœciam suam Nos lustraturos esse resciverint, pueros, et si qui adulti confirmandi sunt, de suscipiendo sacramento diligenter erudiant; curentque ut, grandiores præsertim, ad Confirmationis gratiam percipiendam sacramentali confessione rite se præparent.

3. Cuilibet vero eorum, quos idoneos judi-

*) *Act. Apost. 1. 8.* — **) *Ibidem, 11. 3.* — ***) *Ibidem.*

caverint, testimonialem schedulam præbeant tum ipsius, tum utriusque ejus parentis, tum etiam patrini vel matrinæ nomine et cognomine notatam; eamque ex ejus manibus dum confirmatur recipiant, ut in præscriptum confirmatorum cathalogum referant. Sicubi autem alienæ parœciæ subditos confirmari contigerit, eorum quoque schedulas Parochi ecclesiarum, in quibus confirmati sunt, in suo libro describant, ac deinde ad proprios confirmatorum Parochos mittant, ut et ipsi describant in suo.

4. Studeant porro patrinos confirmandis adscisci alios, si fieri potest, a patrinis Baptismi, iisdem tamen ac illos dotibus exornatos, ipsosque jam confirmatos, et decimoquarto ætatis anno majores, ne proprio officio omnino impares sint. Eos insuper admoneant de cognatione spirituali, quam cum spirituali filio ejusque parentibus contrahunt, nec non de vera, quam item contrahunt, obligatione in mores ejus et pietatem semper deinceps invigilandi; ac propterea curent, ne pluribus quam tribus se unaquaque vice patrinos præbeant. — Presbyteri et clerici patrini munus sine speciali nostra licentia nunquam suscipiant.

5. Studeant item Parochi, ut in ecclesia omnia sint ad Confirmationem decenter administrandam apte disposita; ut confirmandi adsint munda et aperta fronte ac genu flexo per scabella rectis ordinibus distributi, mares quidem seorsim a fæminis; ut, si alii aliis præ loci angustia et ungendorum multitudine submittendi sunt,

id sine strepitu fiat, sine confusione; ut interim cœteri fideles non silentium modo, sed et pium devotionis habitum servent; ut denique omnes ecclesiæ aditus clavibus claudantur, ne quis aut incepto sacramento introeat, aut infecto discedat.

6. Cœterum notum sit omnibus, Nos quotidie in promptu esse, ut in Cappellis nostris eos confirmemus, qui privatim confirmari cupiunt aut egent, dummodo suæ proferant idoneitatis testimonium.

Caput IV.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Quos Baptismo regenerat et Sancti Spiritus virtute corroborat, eos Dominus ac Redemptor noster, ut in Dei gratiam crescant et in vitam nutriantur æternam, tali pascit cibo talique expiat sacrificio, quo vel ipsa ejus infinita sapientia et charitas nihil excogitare et præstare potuisset ineffabilius, nihil augustius. Supremum enim cum discipulis cœnans, seque in ara crucis mox cruente immolaturus, panem et vinum in corpus suum et sanguinem transubstantiavit et discipulis ad manducandum et bibendum dedit, eisque præcepit, ut et ipsi in ejus commemorationem id facerent in perpetuum. Ita, per incruentam suimetipsius immolationem perpetuo iterandam, tum sacrificium instituit, quo condigne Dei honoratur majestas et justitia placatur, tum sacra-

mentum nobis reliquit, per quod, ejus nutriti carnibus et cum ipso veluti concorporati unumque effecti, non modo sanctificaremur, sed et vitam viveremus vere divinam. Tantam itaque tamque adorandam tum sacrificii tum sacramenti excellentiam et sanctitatem, tantas præterea tamque profusas divini erga nos amoris divitias æquum omnino est ut, nisi compari, quo certe non possumus, at saltem majori quo possumus cultu veneremur gratique animi devotione prosequamur.

Huc sane respiciunt quæ tum de Sacramento hoc tum de Sacrificio statuenda Nobis visa sunt, quæque tum Parochos et presbyteros, tum cœteros etiam fideles diligenter observaturos confidimus.

§ 1. *De ss. Eucharistiæ sacramento.*

Ut sanctissimum itaque Eucharistiæ sacramentum quam decentissime asservetur, administretur autem et suscipiatur quam religiosissime, hæc statuimus.

1. Tabernaculum, si marmoreum, elegans expolitio, si ligneum, auri decoret inductio, et sericum conopœum congruenti cum Ecclesiæ ritibus colore contegat, pannusque auro vel argento intextus aut saltem sericus albi coloris intrinsecus vestiat, ac demum valva duplex et duplex clavis communiat, quarum saltem exterior argen-

tea sit, ex eaque sericus floccus aureis filis distinctus dependeat.

2. In tabernaculo vero, substrato corporali mundissimo et altero quoque mense mutando, minores hostias contineat pyxis argentea, intus auro illita, foris conopœolo serico cooperta, et in qualibet parœcia adultorum numero capacitate conveniens. Hostia autem major, ad solemnem consecrata expositionem, servetur in capsula item argentea interius inaurata, aut in ostensorio, cujus lunula ita fabricata sit, ut per longitudinem aperiri et abstergi queat.

3. Ante tabernaculum una saltem honestissima lampas, olivarum oleo nutrita, illi Deo semper colluceat, qui est amoris ignis purissimus; et quotiescumque aperiendum est (aperiri autem non potest nisi a presbyteris, et quidem veste talari, superpelliceo et stola indutis) duæ saltem candelæ accendantur.

4. Ne autem augustissimi Sacramenti species corrumpantur, sacra rituum Congregatio die 2 Aprilis anno 1852 decrevit, ut sacræ Particulæ singulis diebus dominicis renoventur; eademque de causa præcipimus, ut Hostia solemnis expositionis postero die ab expositione peracta, nisi intra brevissimum tempus denno exponenda sit, absumatur; immo etiam optamus, ut, ad azymorum vetustatem et corruptionis periculum penitus effugiendum, ea domi suæ Parochi conficienda curent.

5. Ad hoc porro divini amoris convivium

Parochi hortentur pro viribus fideles ut frequenter accedant, vitæque suæ rationem ita instituant, ut digne ac fructuose corporis et sanguinis Christi participes esse possint, *qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat.* Præcipue vero inde a Dominica tertia Quadragesimæ quotannis « eos admoneant de præcepto sacræ Communionis in Paschate sumendæ, et quidem in propria parœcia, non autem alibi, nec in ipsa ecclesia cathedrali, nisi sit propria sumentis parœcia; » * omnique studio, omnique prudentiæ et charitatis industria laborent, ut nemo illud audeat præterire. Quare, ubi viget consuetudo, ut Communione in Paschate refectis schedulæ testimoniales tradantur, ea et in posterum inviolata servetur.

6. Qua autem ætate et quibus anni temporibus pueri ad sacræ Eucharistiæ communionem primo admittendi sint, locorum consuetudini et Parochorum judicio permittimus, hoc tantummodo districte requirentes, ut prius quæ situ factuque necessaria sunt probe edoceantur.

7. Summa item sollicitudine et charitate curent Parochi, ut æternitatis iter nemo ineat, quin cœlesti hoc pabulo refectus sit, ut in ejus fortitudine ambulare valeat usque ad montem Dei. Quum autem ad ægrotos sacra Eucharistia deferenda est, vel per se deferant, vel per sacerdotes excipiendi confessiones facultate munitos,

*) *Conc. Prov. par. III. cap. XXXII. § 4.*

et quidem ea magnificentia et pompa, qua possunt maxima; et præterea « curent, ut populus frequens et quantum fieri potest accensa lumina manu deferens pie et devote eam comitetur: quod ille ferventius præstabit, si, cum ad ecclesiam reditum est, et alias etiam ubi occasio tulerit, Indulgentias exponant, quas Summi Pontifices tam pio operi concesserunt ». * Cœterum si hoc salutis Viaticum deferendum sit noctu vel ad locos nimis dissitos, præsto habeant Parochi parvam pyxidulam vel capsulam, qua unam tantum vel quot necessariæ sunt Particulas gestent, ne peracta ægroti aut ægrotantium communione ad ecclesiam redire cogantur. Si autem ad locos adi difficiles, aut itineribus multa nive aliisve impedimentis iniquis eundum est, pyxidulam ipsam vel capsulam sacculo includant serico, sericisque funiculis collo appendant, quo expeditius ambulare et sacram Eucharistiam securius ac decentius valeant tueri. In cœteris vero, iisque in rerum adjunctis, quæ nec facile a Nobis prævideri neque commode hic possunt enumerari, ita se gerant, prout sua vel vicinorum cuique prudentia suggeret; illud tamen præ oculis semper habentes, se gestare *Regem regum et Dominum dominantium.*

8. Solemnes quod attinet Sacramenti expositiones, nulla nullibi extraordinaria fiat (nisi gravis instet causa) sine nostra vel Vicarii Fo-

*) *Conc. Prov. loco citato.*

ranei licentia, nulla unquam sine condecenti magnificentia et pompa, nulla nisi duodecim saltem candelis accensis.

9. Condecenti magnificentia et pompa agantur etiam processiones tertia cujusvis mensis Dominica cum SS. Eucharistia agi solitæ; easque accensis luminibus, recitatis precibus, psalmis cum clero decantatis et devoto incessu pioque totius corporis habitu condecorare satagant SS. Sacramenti Confraternitates, quæ, sicubi institutæ adhuc non sunt, ut quamprimum erigantur hortamur et efflagitamus.

10. Mandamus denique Parochis et parochialium procuratoribus ecclesiarum, quibus ecclesiam nostram cathedralem exemplo prælucere æquum est, ut Sepulcrum, in quo feria quinta majoris hebdomadæ Sacramentum reconditur, non solum decenti sed splendidiori, quo fieri potest, ornatu illustre sit, remoto tamen quovis profano ornamento, ne curiositati magis quam pietati visitantium serviatur.

§ 2. *De sacrosancto Missæ sacrificio.*

Accedentes nunc ad sacrosanctum illud sacrificium, tot ante sæculis multiplici victimarum genere præfiguratum, in corporis et sanguinis Christi sub panis et vini specie oblatione incruenta primo institutum, mox in crucis altari

cruente consummatum, et ubique terrarum oblatione multiplici quotidie iteratum, per quod, *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo**, et, omnium differentiis hostiarum impletis, « divinam majestatem uti decet adoramus, pro acceptis beneficiis gratias agimus, satisfacimus pro peccatis, divinam misericordiam efficacius consequimur et gratiam invenimus in auxilio opportuno, »** non possumus quin presbyteros nostros vehementius hortemur instanterque excitemus, ut serio considerent, quam tremendo fungantur sacerdotio, quantaque tum interiori cordis munditia tum exteriori devotionis ac pietatis specie tam adorabile mysterium eos peragere oporteat.

Quam quidem cordis puritatem et animi devotionem ut semper retineant et in dies augeant, ac in Missæ præsertim celebratione præseferant, mundi consuetudinem et sæculi inquinamenta pro viribus fugiant, orationibus piisque lectionibus assidue vacent, crebris SS. Sacramenti visitationibus pietatis fervorem in semetipsis alant et excitent, certumque habeant sacerdotem, ad cujus pedes singulis semet hebdomadibus sistant quotidianos ignorantiæ errores et fragilitatis defectus confessuri.

Etsi vero neminem e clero nostro futurum confidimus, qui mysteriorum, quæ tractat, san-

*) *Ad Rom. v. 10.* — **) *Conc. Prov. par. III. cap. XXIII.*

ctitatem obliviscatur; quia tamen labilem esse hominum naturam non ignoramus, præeunte Nobis *gravi* Synodi Provincialis decreto, præcipimus, ut Parochi et Vicarii Foranei, quorum conscientiam ea ipsa Synodus onerat, « si quos noverint sacerdotes sine debita præparatione et subsequenti gratiarum actione, festinanter et indevote Missas celebrare, post unam alteramve correptionem in Domino factam, omni posthabito humano respectu, *Nobis* denuntient, qui in contumaces pœnam suspensionis *indicemus*, ne in eorum peccatis connivere *videamur* ». *

Nec solum summa cordis pietate et devotione, rubricisque Missalis Romani ad unguem servatis, ac sæpius propterea legendis, Missas celebrari volumus, sed eo etiam, quo decet, externi habitus cultu et apparatus dignitate. Quare nemo unquam sine tonsura ac talari veste ad celebrandum accedere audeat. Et quoniam alicubi et aliquando accidit, ut sacerdotes cum sua veste nequeant accedere, idcirco mandamus, ut in omnibus ecclesiis et oratoriis tum publicis tum privatis una vel plures talares vestes celebraturis præsto sint; omnisque tam urbis quam diœcesis ecclesia vel cappella, quæ intra sex menses ab harum promulgatione constitutionum mandatum hoc non expleverit, clausa esto donec perfecerit. Habeat item quævis ecclesia, quantumlibet inops, omnium ritualium colorum paramenta, nec

---

*) *Conc, Prov. loco citato.*

sordida vel lacera nimisve trita; mundissima item corporalia et mappas; amictus vero et purificatoria eo numero, ut cuilibet advenienti presbytero nitida possint exhiberi.

In ecclesiarum sacristiis, ubi pluries per annum Missa celebratur, Calendarium diœcesanum prostare volumus; ubi vero quotidie, etiam librum, in quo omnes qui celebraverint, prænotato die et mense, nomen suum et cognomen Missæque applicationem describant. Si quis autem semel, atque iterum ac tertio describere recusaverit, a celebrando arceatur Nobisque denuntietur.

« Neque illud prætereundum » Provincialis Synodus censuit « , quod hodierna temporum adjuncta prætermitti non sinunt; scilicet ecclesiarum rectoribus, tanta cum sit hoc tempore vini caritas, omnem prorsus curam omnemque adhibendam esse diligentiam , ut indubitanter certoque sciant, vinum, quo in Missa sacerdos utitur, ex uvis fuisse expressum, ne ex defectu materiæ vini sacrificium nullum evadat ». *

Ut vero fidelibus, diebus præsertim festis, facilis audiendi Missam copia sit, presbyteros nulla statæ horæ obligatione obstrictos deprecamur, ut eos ea hora celebrare ne pigeat, quæ fidelium opportunitati commodior sit; idque ab iis, qui in Ecclesia nostra Cathedrali celebrare consuescunt, potissimum efflagitamus, ut, quæ princeps

*) *Conc. Prov. loco citato.*

est ecclesiarum, ea sit et rectæ ordinationis exemplum. — Cœterum Missarum celebratio ab aurora ad meridiem lege universali permissa est, quos fines tertia horæ parte Benedictus XIII et Clemens XII utrimque dimoverunt.

« Quod si quis sacerdos a finitimis provinciis ad aliquam » nostræ diœcesis « ecclesiam Missam celebraturus accedat, is, si Parocho sit probe cognitus, et tonsuram gestet, et nihil indecorum in vestibus præseferat, poterit quidem per breve tempus ad sacrum faciendum admitti; at si diutius in diœcesi commoretur, certior facienda est Curia « nostra », ut debita facultas obtineatur . . . . At si neque ecclesiæ rectori neque alicui integerrimæ personæ notus sit hic sacerdos, poterit quidem semel atque iterum sacrum facere, dummodo testimonialibus litteris sui Ordinarii sit instructus; monebitur tamen ut hasce litteras Curiæ « nostræ » exhibeat, ab eaque facultatem petat sacra peragendi; alioquin ad celebrandum amplius non admittatur. »* Non admittatur autem neque semel, si nec litteras testimoniales habeat, et prorsus ignotus sit.

Eleemosinas Missarum quod attinet, Concilium Provinciale declarat, illicitum esse eas recipere, quarum obligationi intra tempus præscriptum satisfieri non possit; et onera Missarum perpetua vetat acceptari sine assensu nostro; *maximum vero flagitium esse* affirmat, *si pecuniæ*

*) *Conc. Prov. loco citato.*

pro Missarum celebratione oblatæ in alios usus, utcumque sacros, sine debita Apostolicæ Sedis *facultate insumerentur;* Nobisque propterea præcipit, ut in hanc rem attente invigilemus, severisque pœnis tantum nefas puniamus.*) Ut autem quæ legatis et beneficiis quibuscumque Missarum onera adnexa sunt fidelissime religiosissimeque adimpleantur, Parochorum aliorumque ecclesiarum rectorum conscientiam obstringimus; quibus et mandamus, ut onerum ipsorum tabellam diligentissime exaratam, Curiæque nostræ fideli exemplo communicandam, in sua quisque sacristia corona protectam exponant. — Si alicubi omnibus Missarum stipendiis satisfieri non potest, quæ supersunt eidem Curiæ nostræ remittantur, quæ indigentibus et petentibus religiose distribuenda curabit.

Inculcamus denique Parochis cœterisque divini verbi præconibus, ut de augustissimi hujus sacrificii excellentia, vi et effectibus fideles opportune instruant, eisque persuadeant, ut non solum diebus festis ex obligatione præcepti, sed aliis etiam diebus ex animi devotione illud frequentent, docentes scilicet hac nimirum ratione divinam sibi misericordiam et beneficiorum largitatem efficacius et uberius promerituros. Qua quidem de causa, ut videlicet Dei clementia indulgentior fidelibus in variis eorum necessitatibus per hujus Sacrificii merita comparetur, con-

*) *Conc. Prov. loco citato.*

cedimus Parochis eorumve vicariis, ut collectam pro temporum et indigentiarum diversitate opportunam per octo dies sibi consequentes in Missa recitare valeant, quin facultatem a Nobis vel a Curia nostra obtinuerint.

Caput V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Infusa nobis per sacramentum Confirmationis virtute Spiritus Sancti, et immortalitatis alimonia per ineffabilem suimetipsius communionem exhibita, Dominus ac Redemptor noster omnia præstiterat, quibus ea vita, in quam per Baptisma semel regeneramur, firma in nobis ac indeficiens permaneret. Quia tamen novit figmentum nostrum, et in mortem nos peccando relapsuros præscivit, ne in æternum moriamur Pœnitentiæ instituit sacramentum, quo, etiam pluries mortui, pluries resuscitaremur. Apostolis enim post resurrectionem suam in unum locum congregatis insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*; * et quærenti Petro, num septies venia peccati danda esset, respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* **

Quia igitur, *si dixerimus quoniam peccatum*

*) *Joan.* XX. 22. — **) *Math.* XVIII. 22.

non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est; * quia scilicet nemo est, qui in hujus vitæ pelago non aliquando naufraget, certumque vel saltem imminens æternæ perditionis periculum subeat, nisi huic salvationis tabulæ innitatur; « de hoc propterea sacramento sæpius sermonem Parochi instituant, ejusdemque partes, necessitatem et fructus declarent, ut fideles ad illud suscipiendum digne et frequenter accedant ». **

Quoniam autem ita est institutum, ut in eo presbyteri tum judicum tum medicorum ac doctorum munere fungantur, ex quo non pœnitentium modo, sed et sua ipsorum æternitas non raro dependet; idcirco necesse omnino est, « ut sacerdotes, qui ad excipiendas confessiones assumuntur, sciant lepram a lepra distinguere, et tot tamque diversis spiritualibus infirmitatibus opportuna remedia applicare », *** simulque ut ea præstent honestate vitæ et morum integritate, ne ipsis, dum aliena vulnera tractant, aliquis possit ingerere: *Medice, cura teipsum.*

Omnes itaque confessarii necessarias moralis disciplinæ cognitiones acquirere et quotidie magis sibi familiares reddere diligentissime studeant; nec minori opera satagant, ut omni quoque virtutum genere quotidie magis exornentur. Confessarii vero juniores, ut experimento probent

*) *I. Joan. I. 8.* — **) *Conc. Prov. par. III. cap. XXII.* § 5.
***) *Idem ibidem.*

se tanto muneri idoneos esse, diebus in Calendario quotannis indicandis ad examen quotannis accedant, tamdiu quidem iterandum, quamdiu sufficiens de se testimonium tum scientia tum gravitate morum et probitate exhibuerint.

« Porro morum doctrinam et prudentiæ regulas hauriant confessarii ab auctoribus probatis; inanes quæstiones devitent; monita S. Caroli Borromæi et S. Francisci Salesii, nec non opera B. Leonardi a Portu Mauritio, et præsertim S. Alphonsi Mariæ de Ligorio diurna nocturnaque manu versare studeant; perlegant et præ oculis habeant pagellam casuum » Nobis reservatorum, quam, quia paulisper immutavimus, in calce hujus capituli reponimus, « itemque casus papales et præsertim constitutiones et decreta Summorum Pontificum contra eos, qui sollicitant ad turpia, qui frangunt sacramentale sigillum, qui absolvunt complicem in re turpi, qui nomen complicis a pœnitente exquirunt; intersint denique congregationibus pro casuum resolutione institutis vel instituendis ».*

Quæ quidem congregationes ut finem suum revera consequantur, ut scilicet rerum divinarum scientiam in presbyteris augeant, eosque mutuo inter se charitatis vinculo arctius obstringant,— *a*) habeantur in urbe singulis mensibus, Martio et Aprili, Septembri et Octobri tamen exceptis, in foraneis vero Vicariatibus quo frequentius

*) *Conc. Prov. loco citato.*

temporum et locorum ratio permittet, prout singulis consultis Vicariis statuemus; — *b*) adeantur non solum a Parochis omnibus non legitime impeditis, sed ab omnibus etiam presbyteris, immo et a clericis Theologiæ studentibus, quos item legitima causa non detineat; — *c*) quæstiones agitent de Sacra Scriptura, de Theologia dogmatica, de morum disciplina, de sacris ritibus et cæremoniis; — *d*) ita autem instituantur, ut propositæ quæstionis solutionem scripto exaratam omnes adferant, legant duo tantum, quorum nomina ab urna sorte exierint, deinde super auditis qui voluerit libere disputet, ac denique vel qui dignitate præest vel communi voto electus legendo aut dicendo definiat; — *e*) peregrinas denique opiniones, multoque magis peculiarem alicujus disputantis triumphum pro viribus devitent, id solummodo intendentes, ut veritatem exquirant et Dei gloriam augeant atque promoveant.

Scientia ad confessiones audiendas necessaria hisce mediis instructi, ea insuper charitate in hoc ministerio exercendo se gerant confessarii, qua Pastor bonus perditam ovem quærebat et peccatores ad se venientes complectebatur. Non modo scilicet nullo penitus signo indicent, sibi molestum esse pro sacro tribunali sedere, aut alicujus fortasse sceleris gravitate se commoveri; sed immo faciles semper et promptos cuilibet semet exhibeant; hilari vultu ac lubenti animo, diebus præsertim festis et frequentioris pœniten-

tium concursus, omnes excipiant; negligentes vero et reluctantes etiam invitent et blande compellant; ac, probe scientes non sanos indigere medico sed qui male habent, iis, qui ignorant et errant, ex animo condoleant.

Hanc tamen charitatis indulgentiam justitiæ severitate temperare ne obliviscantur; tardioresque sint iis absolvendis, qui peccandi vel habitu detinentur vel occasionem negligunt devitare, qui damna alienæ vel rei vel famæ illata reficere differunt, quique nimis incerta veræ pœnitentiæ exhibent indicia; ac demum, *quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungant*, *ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.** Et quoniam de satisfactionibus hic sermo incidit, maxima caveant scrupolositate confessarii, ne, si Missarum stipendia imposuerint, ea ipsi pro se vel pro sua ecclesia recipiant; sine gravi enim turpis lucri suspicione et sacramenti propterea detrimento id fieri non posset.

« Peculiarem vero curam in puerorum confessionibus excipiendis impendant, quum bonum a malo discernere incipiunt, et in eorum mentes dolus cadere potest; prudentissima eos manu cu-

*) *Conc. Trid. sess. XIV cap. VIII. de Pœnit.*

rent, caveantque ne de iis, quæ ignorare præstat, interrogando instruant; magno studio magnaque patientia ad hujus sacramenti fructus percipiendos præparent; neque iis absolutionis beneficium ad illud tempus differant, quo ad primam Communionem admittnntur, sed rite dispositos sacramenti gratia corroborent, ut in via justitiæ ambulantes etiam cum senuerint non recedant ab ea ». *

Quoad externam hujus sacramenti administrationem mandamus, ut sedes confessionales conspicuo loco in ecclesia prostent; ut fenestellas habeant ferreis cratibus munitas, per quas pœnitentium vox audiri non vultus adspici queat; ut confessarium a populi conspectu veli aut valvularum objectu protegant; ut ipsi casuum reservatorum pagellam, pœnitentibus autem Jesu crucifixi imaginem opportuno loco affixam et facile conspiciendam exhibeant; ut decentes denique sint, nec vetustate labefiant. Confessarii vero, cum in iis sedent, *superpelliceo et stola violacei coloris utantur, prout tempus et locorum feret consuetudo;* ** nec nisi in iis mulierum et puellarum confessiones excipiant, et quidem non antequam dies illuxerit, neque postquam clarere desierit. Mulieres, quæ infirmæ valetudinis causa domi audiendæ sunt, aperto cubiculo audiantur, nisi aliter manifesta exigat necessitas.

Præstat demum nonnulla subjicere de Indul-

*) *Conc. Prov. loco citato.* — **) *Rit. Rom.*

gentiis, quæ, quia per meritorum Christi, B. V. Mariæ aliorumque Sanctorum applicationem vel minuunt vel omnino remittunt eam temporalem pœnam, quæ solvenda remanet a culpa et a pœna æterna per sacramentum Pœnitentiæ absolutis, proprio et naturali nexu cum sacramento ipso conjunguntur.

Ad eas porro a Romano Pontifice impetrandas (cum non alia Episcopis facultas data sit, quam ut breves quasdam certis quibusdam temporibus largiantur) Curiæ nostræ operam Parochis libenter proferimus; qui tamen meminerint impetratas non posse promulgari, nisi eas Nos recognoverimus. Meminerint etiam unum tantummodo altare, et quidem a Nobis delegata facultate designatum, indulgentiæ privilegio ad septennium in ecclesiis parochialibus esse donandum. Advenientibus autem diebus lucrandæ indulgentiæ assignatis, populum mature præmoneant ac fervide invitent, ut, Pœnitentiæ et sanctissimæ Eucharistiæ sacramentis susceptis et præscriptis operibus præstitis, ad eam percipiendam se rite disponat. Sine speciali vero Summi Pontificis præcepto capsulas ad eleemosinas ea occasione eaque de causa captandas nemo audeat exponere.

Casus reservati.

I. Blasphemia hæreticalis in quocumque casu: item quæcumque alia in Deum, beatissimam De-

iparam et Sanctos, dummodo fuerit per tres vices post ultimam confessionem prolata.

II. Divinationes, maleficia et quodcumque genus aliud superstitionum, cum abusu Sacramentorum, sacrarum rerum, aut sacrorum verborum, multo magis cum Dæmonis invocatione.

III. Occultatio dolosa legatorum ad pias causas: item occultatio, vel usurpatio seu detentio dolosa scripturarum, rerum, bonorum ad ecclesias, ecclesiastica beneficia vel pia loca spectantium; nec non falsificatio scripturarum in grave alterius damnum.

IV. Perjurium judiciale.

V. Patris et matris pecussio tam ex odio quam ex contemptu.

VI. Homicidium voluntarium non solum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes et auxilium aut consilium præstantes.

VII. Procuratio abortus tam opere quam consilio, etiamsi effectus non sequatur. — Notandum porro, quod si abortus fiat fætus animati, quicumque illum procuraverit non solum incidit in casum reservatum, sed vi constitutionis *Sedes Apostolica* Gregorii XIV. etiam in excommunicationem, a qua nullus omnino absolvere poterit, etiamsi habeat facultatem in reservatis, sed toties quoties ad Nos recurrendum erit.

VIII. Copula inter sponsos ante Matrimonium quoad mares.

IX. Incestus in primo et secundo consanguinitatis gradu quoad utrumque sexum: item co-

pula inter cognatos cognatione spirituali. — Notandum, quod quicumque incestum in primo vel secundo affinitatis gradu commiserit, is privatur jure petendi debitum conjugale; nec facultas a Nobis confessariis concedenda absolvendi ab hoc casu valebit ad dispensandum super privatione hujus juris; sed toties, quoties casus iste contigerit, a Nobis erit impetranda facultas.

X. Lenocinium parentum ad deflorationem filiæ, et mariti ad adulterium uxoris.

XI. Cohabitatio eorum, qui in concubinatu vixerunt cum scandalo, etiamsi asserant se caste vivere.

XII. Seductio per doctrinam ad fornicationem; scilicet cum quis insinuet esse quandoque licitam, cujuscumque gradus aut status sit seductor.

XIII. Fœdissima sodomiæ et bestialitatis scelera consummata, quoad mares tantum.

XIV. Quælibet impudicitia, etiam dumtaxat attentata, cum Monialibus vel aliis fæminis intra Monialium septa degentibus; nec non verborum, literarum, aut munerum communicatio ad malum finem.

XV. Omnis et quilibet actus libidinosus confessarii cum sua pœnitente, vel pœnitentis cum suo confessario, sive sæpius sive semel confessarius ejusdem pœnitentis confessionem exceperit.

XVI. Sollicitatio ad turpia, juxta pervulgatam Benedicti XIV. constitutionem, quæ incipit:

Sacramentum Pœnitentiæ. — Declaramus insuper ademptam esse facultatem omnibus confessariis, cujuscumque status, ordinis aut dignitatis sint, tam jurisdictione ordinaria quam delegata præditis, absolvendi complicem peccati contra sextum Decalogi præceptum, etiamsi actus externus fuerit ex dispositivis tantum ad copulam, et quocumque modo castitati contrarius.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Sacramenti Pœnitentiæ consummativum existimatum est a Patribus sacramentum extremæ Unctionis, quo clementissimus Redemptor noster tamquam firmissimo quodam præsidio vitæ exitum communivit, ut efficacissimum contra salutis hostem auxilium haberemus quum ab eo omnibus versutiæ nervis vehementius impetimur. Etiam hujus itaque sacramenti effectus mirabiles « Parochi frequenter fidelibus exponant, ut promptiores et paratiores sint ad illud suscipiendum cum periculoso morbo laborant, atque ut ab inani illa et improba opinione eos omnes et præcipue amatores mundi abducant, qui de hoc sacramento non recte sentiunt, perinde scilicet ac si mortem ægrotis acceleret... Noverint præterea Parochi et eorum coadjutores sui muneris esse, ut non expectent dum rogentur de hoc sa-

cramento conferendo; sed sua sedulitate hac in re præveniant infirmorum vita periclitantium petitiones. Quare illos frequenter invisant, eisdemque præstent omnia, quæ sunt pastoralis sollicitudinis officia, rationem Deo reddituri, si quis fidelium ob eorum incuriam sine hujus sacramenti perceptione e vivis excesserit.» * Speramus immo, maximeque confidimus, Parochos nostros non deserturos infirmum etiam extrema hac Unctione munitum, sed eidem, præsertim instante morte, assidue adfuturos, ut in extremo agone luctantem opportune confortent, ac Pontificiæ Benedictionis, cujus facultatem ex delegata Nobis potestate ipsis impertimur, elargitione corroborent, ejusque animam ex hoc mundo proficiscentem Deo commendent.

Cæterum qua ratione, quo adparatu, quibus cœremoniis, nec non quibus fidelibus conferenda sit extrema Unctio, satis declarat Rituale Romanum, cujus præscriptiones quo fidelius fieri potest servari mandamus. Hoc addimus tantummodo, Oleum infirmorum asservandum esse cum Oleo catechumenorum et sacro Chrismate in ecclesiis parochialibus, et quidem in custodia inserta muro, clavi munita, panno violaceo intus obducta, et foris inscripta: ***Olea Sacra.*** Attamen, quo citius in mortis periculum lapsis accurrant, Parochi eorumque coadjutores Oleum infirmorum in argenteo vel stamneo vasculo sac-

*) *Conc. Prov. par. III. cap. XXII. § 6.*

culo serico violacei coloris incluso etiam domi habeant.

Caput VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Sacramentorum, quæ hactenus recensuimus, ea est ratio et natura, ut sine sacerdotio *partim confici et administrari nullo modo queant*, *partim solemni cœremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur.* * Oportebat itaque, ut qui illa instituit etiam sacerdotio prospiceret, cui ea administrandi, offerendique præsertim sacrificii et peccata dimittendi vel retinendi traderetur potestas, per sæculorum seriem continua successione propaganda et conservanda. Id porro præstitit Christus Dominus sacramento Ordinis, quo Apostolis et regale contulit sacerdotium et potestatem indidit alios ordinandi sibi perpetuo in sacerdotio successuros.

« Quum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, oportet omnino, ut qui ad illud assumuntur per sacram Ordinationem, vel qui jam assumpti et Ordine insigniti sunt, . . . ea vitæ sanctitate iisque dotibus præfulgeant, quas res ipsa et finis, ob quem Christus Dominus hoc sacramentum instituit, jure expostulant.»** Verum de his inferius, ubi de Seminario

*) *Catech. Rom. par. II. cap. VII. n. 1.*
**) *Conc. Prov. par. III. cap. XXII. §. 7.*

et de vita ac honestate clericorum agemus; hic pauca statuere et inculcare sufficiat, quæ deligendos clericali militiæ pueros et ad Ordines promovendos respiciunt.

Ac primo quidem Provincialis Venetiarum Synodus « Parochos omnes hortatur et obsecrat in Domino, ut si quem puerum agnoverint, qui vocationis indicia præseferat, paternam illius curam gerant, omnem adhibeant sollicitudinem ut pietatem foveat, obstacula demum removere satagant, quæ non raro ex familiæ egestate oriuntur, ne studiorum curriculum ingredi possint. »* Quam quidem Provincialis Synodi exhortationem, quum in tanto versemur sacerdotum defectu, Parochos enixe deprecamur ut prompto animo excipiant, ac certatim perficere nitantur.

Quamvis porro adeo magnis premamur angustiis, tamen, quoniam firmum Nobis in animo est ut iis tantummodo manus imponamus, qui indubia præseferant vocationis indicia, nemini clericalem habitum multoque minus Ordines concedemus, qui suæ testimonium pietatis morumque integritatis, nec non propensæ ad ecclesiasticæ disciplinæ studium voluntatis a Parocho jurata fide prolatum non exhibeat.

Cuilibet vero ordinationi spiritualia exercitia, et coram Nobis vel Vicario nostro generali examen circa Ordinem suscipiendum ordinandi præmittant; promovendi autem ad Ordines majores

*) *Conc. Prov. par. III. cap. XXII. §. 7.*

etiam generalem vitæ suæ confessionem.

Qui Subdiaconatus Ordine cupiunt insigniri etiam titulum proferant patrimonii juxta canonicas leges constituti, et non solum a secreta quavis pactione, restrictione et limitatione liberi, sed nec in posterum ulla ratione alienandi, immo nec nisi canonica et a Nobis recognita tituli substitutione permutandi.

Ad singulos majores Ordines promovendorum nomina in parochiali cujusque ecclesia inter Missarum solemnia tribus sibi continue succedentibus diebus festis populo denuncientur, ut si quid aliquis habeat vel sciat, quod eorum obstet promotioni, per se vel per Parochum Nobis referat.

Qui demum ad aliquem majorum Ordinum promoti fuerint, in Cathedrali Ecclesia vel in sua Parochiali per autumni vacationes sæpius illum exerceant, ut altari decenter servire discant et assuescant. Presbyteratus autem Ordine insigniti Missam non ante celebrare audeant, quam, exhibito Nobis testimonio, quo sacrorum rituum Magister ipsorum hac in re scientiam et habitum declaret, licentiam a Nobis obtinuerint.

Caput VIII.

De sacramento matrimonii.

Quemadmodum sacramenti dignitate eos Dominus insignivit et gratia roboravit, qui reli-

giosam a se institutam societatem sacerdotii potestate regerent, et spirituali quadam generatione propagarent; ita sacramenti gratia eos sanctificare et communire voluit, qui perpetuando per carnalem generationem hominum generi, eorumque naturali regendæ societati divina sunt ordinatione constituti. Magnum siquidem, et inter naturæ officia præcipuum, et religioso propemodum sacerdotio simile sibi munus suscipiunt qui matrimonio junguntur. Non enim ideo conjugium inire debent, ut *suæ libidini vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus;* sed *cum timore Domini et amore filiorum;* * ut scilicet divinæ inservientes institutioni filios procreent ad humanam in terris societatem conservandam, eosque ita educent, ut et Deo gloriam et sibimet æternam valeant salutem in cœlis comparare. Quod quidem officium quam grave quamque arduum sit vel inde patet, quod sapientissimus Redemptor noster hoc unum ex naturæ institutis sacramenti dignitate et gratia censuit exornandum.

At vero inde etiam patet quanto studio et diligentia animarum pastores vigilare et adniti debeant, ut ea, qua par est, maturitate consilii et religionis pietate matrimonia inter fideles sibi commissos contrahantur. Eorum sane « zelum et sollicitudinem » Provincialis Synodus « excitat, ut contrarios abusus, quos humani generis ho-

*) *Tobiæ* 11.

stis invexit, omni contentione tollere studeant.» Jubet eos propterea « sacramenti Matrimonii institutionem, vim, naturam et sanctitatem, prudenti quidem ratione, frequenter tamen et accurate fidelibus explicare, ut omnes intelligant», non temporale aliquod parvique momenti negotium, sed rem omnino sanctam et religiosam aggredi qui matrimonium est contracturus. Mandat insuper, ut « arguant etiam tam temerariam adolescentium utriusque sexus licentiam, qui familiariter nimis inter se conversari solent, tum perniciosam parentum negligentiam, qui eos, uti decet, non custodiunt. » Inculcat demum ipsis in Domino curandum esse, ut etiam « sponsi a visitationibus quantum fieri potest abstineant, si proximi matrimonii spes non effulgeat ».

« Cum vero sponsalia gravem inducant obligationem celebrandi congruo tempore matrimonii » eadem Provincialis Synodus Parochis præcipit, ut « adolescentibus commendent ne inconsiderate, temere et soli clam ineant sponsalia; sed lumen a Deo assiduis precibus efflagitent, prudentium virorum consilium adhibeant, et coram testibus fide dignis ea contrahant; sæpe enim fit, ut alter sponsus alterius pertœsus fidem non præstet, et cum in jus venitur nullo teste convinci possit; unde contentiones, infamiæ, rixæ, inimicitiæ non sine gravi bonorum scandalo oriuntur». Præsertim vero eos monet inculcare filiisfamilias, « ut parentum consensum exquirant; nam matrimonia parentibus rationabiliter invitis

conctracta sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est atque prohibuit; neque de divino auxilio bene sperare possunt qui sana parentum consilia auctoritatemque parvipendunt.»

Nullum generatim matrimonium, eodem Provinciali Concilio prohibente, denuncient Parochi nisi doctrinæ christianæ rudimenta sponsos didicisse compererint; eosque separatim ante interrogent, num libera voluntate vel aliis spoponderint, et num votum castitatis emiserint.

Si alter e sponsis in aliena parœcia habeat domicilium, vel in alienis per notabile tempus commoratus fuerit, etiam in iis denunciationes fieri Parochi postulent; si alterius sit diœcesis, litteras requirant, quibus episcopalis ejus diœcesis Curia eum liberum declaret; si nimis multos nimisve dissitos locos pererrando visitaverit aut habitaverit, exigant ut denunciationes suppleat emisso juxta consuetas formulas juramento; si denique viduus, non ante denuncient, quam conjugis mortem indubitanter et authentice demonstraverit. — Cum vagis et stabili domicilio carentibus cautissime se gerant; nec quidquam de matrimonio contrahendo agant, quin prius documenta, quæ proferant, Curiæ nostræ exhibuerint.

Si post unam alteramve ex tribus denunciationibus, quæ tribus diebus festis, interjecto inter singulas unius saltem diei spatio, fieri debent, impedimentum aliquod detegatur, reliquæ differantur donec dispensatio a detecto impedimento

impetrata sit. De impetrata vero dispensatione populus certior fiat in denunciationibus, quæ faciendæ remanent; quarum ultima peracta, tres dies ante matrimonii celebrationem elabi sinantur, nisi tamen vetitum tempus immineat, aut alia urgeat necessitas.

Celebretur autem matrimonium mane in parochiali vel alia parœciæ ecclesia; non tamen in Oratoriis sine nostra licentia; in privatis vero domibus nunquam omnino, nisi ex nostra concessione vel ex necessitate, sub pœna suspensionis a Parocho vel ejus delegato, qui benedicendo adfuerit, statim incurrenda.

Foraneos animarum rectores monitos esse volumus, eos non esse proprios Parochos illorum, qui non morantur ruri sub eorum cura majori anni parte. (Synod. Bembi)

« Quum doceat Apostolus virum a muliere, et mulierem a viro discedere non debere, quoties id evenisse compererint, sedulo curent Parochi, tum per se tum per alios, conjugalem eorum pristinam gratiam et societatem reconciliari; et si media ab ipsis adhibita, preces, exhortationes, monita irrita evadant, rem totam ad ecclesiasticum pro causis matrimonialibus Tribunal deferant. » *

Conjuges denique, quorum thalamo Deus benedixerit, hortamur in Domino et enixe obsecra-

*) *Con. Pro. par. III. cap. XXII. § 8., unde etiam cætera omnia, quæ in hoc capitulo ex Prov. Synodo prolata sunt, deprompsimus.*

mus, ut quanti sibi officii coram Deo et Ecclesia et civili societate debitum sumpserint semper præ oculis habeant; ut filios proinde jam tum a tenellis annis in vias Domini rectas verbis et exemplis dirigere studeant; ut eos sanctissimæ nostræ religionis doctrina et amore pariter imbuant; ut a peccatis et peccantium consortio pro viribus deterreant atque custodiant. Ita enim fiet, ut et filiorum, quos tanto prosequuntur amore, felicitati revera prospexerint, et ipsi benedictionem in filiis consequantur.

Caput IX.

DE SACRAMENTALIBUS.

Sacramentis adnectuntur sacramentalia, quædam scilicet tum cœremoniæ tum res peculiari aliquo ritu benedictæ, tum benedictiones ipsæ, quæ semper in Ecclesia obtinuerunt, quæque ad instar sacramentorum res sacras significant, et ad pietatis sensa in fidelium animis excitanda plurimum conferunt. De hisce autem acturi hæc, quæ Provincialis Synodus statuit, ipsissimis ejus verbis in primis indicimus.

1. « Quamvis benedicendi munus proprium sit sacerdotis, nullus tamen sacerdos illud temere sibi arroget cum detrimento jurium Parochorum. »

2. « Vicarii Foranei et Parochi sedulo invigilent, ne pravi homines lucri cupiditate illecti

credulæ plebis superstitionem exorcismis aliisve modis foveant et augeant; quos omnino coerceant, invocato, si opus fuerit, ecclesiasticæ vel civilis potestatis auxilio. »

3. « Quamvis autem certissimum est, valere Ecclesiæ benedictiones tum contra spirituales nequitias, tum etiam adversus naturales morborum causas; tamen caveant qui benedicunt, ne vanas, mulierum præsertim, suspiciones de maleficiis, veneficiis, fascinationibus aliquo modo foveant, aut occasionem præbeant aliquid de eo genere temere judicandi. Nemini propterea expetitam benedictionem impertiantur, nisi prius petentis animum prudenter exploraverint. »

4. « In benedictionibus eæ tantum adhibeantur formulæ, quæ reperiuntur in Rituali Romano, aut quæ ab Apostolica Sede sunt adprobatæ. Quod si contigerit aliquando benedictionem pro peculiari aliqua necessitate impertiendam esse, cui nulla ex adprobatis satis accomodata videatur, Parochus uti poterit formula aliqua generali, et præmisso versiculo: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, unam vel alteram ex iis orationibus subjungere, quæ sunt in Missali Romano, exempli causa: *Deus refugium nostrum et virtus*, vel: *Pateant aures misericordiæ tuæ*, quæ legitur Dominica IX post Pentecostes.

5. » Sciant præterea sacerdotes, in decretis de libris prohibitis.. hæc haberi ad ritus sacros spectantia, quæ prohibita sunt. I. *Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi adprobatæ*

fuerint a sacra Rituum Congregatione; II. *Exorcismorum formulæ diversæ ab iis, quæ præscribuntur in regulis Ritualis Romani, et earumdem usus absque prævio examine coram Ordinario.* »

Hisce Provincialis Concilii decretis pauca hæc addere placet, ex Prædecessorum nostrorum deprompta constitutionibus.

Ut benedictionibus rebusque benedictis, ceu candelis, cineribus, palmis, aquæ, aliisque id genus, vividiorem fidem et pietatem populus adhibeat ac uberiores propterea fructus inde percipiat, earum Parochi rationem et significationem opportunis temporibus explicent.

Aquam benedictam semper mundam, crebro idcirco mutandam, veteri in sacrarium infusa, juxta ecclesiæ januas nunquam deesse permittant; eaque populum ante Missam parochialem diebus dominicis aspergant. Curent etiam ut aquam benedictam omnes juxta lectum habeant, qua et sero cubituri et mane surgentes se contra Diaboli insidias signando communiant.

Aqua item benedicta suæ quisque parœciæ domos Sabbato Sancto, vel illi proximis pro opportunitate diebus, juxta Ritualis Romani formulam lustrent, non quidem munera et oblationes intuentes, sed ut spirituale beneficium revera suis fidelibus comparent.

Quum tempestatum et procellarum apparent indicia, pulsatis paulisper campanis, fideles invi-

tent ad Deum in ecclesia vel saltem domi fervidis precibus exorandum, ut indignationis suæ minas avertere dignetur.

Eos denique frequenter hortentur, ut Deiparam Virginem prece illa suavissima: *Angelus Domini etc.* mane, meridie et vespera salutare nunquam prætermittant; itemque ne animabus in Purgatorio degentibus prima cujusvis noctis hora psalmo *De profundis* renuant suffragari.

CONSTITUTIONUM

PARS TERTIA

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

CAPUT I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

Ad ecclesiasticæ hierarchiæ personas rerum serie demum adducti dicere ante omnia proposuimus qualem generatim velimus clerum nostrum dilectissimum, quibus immunem vitiis, quibus ornatum virtutibus, qua vitæ honestate et sanctitate fulgentem, ut *forma factus gregis* ad sanctissima Evangelii præcepta fidelium mores revera componat. *Nihil* enim *est*, *quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat*, *quam eorum vita et exemplum*, *qui se divino ministerio dedicarunt*: *cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur*, *in eos tanquam in speculum reliqui oculos injiciunt*, *ex iisque sumunt quod imitentur*. * Quare quemadmodum populos maximopere ædificant et ad virtutum opera provocant sacerdotes, qui vitæ innocentiam morumque integritatem et animo retinent et externa habi-

*) *Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1. de Reform.*

tus, gestus, incessus, sermonis rerumque omnium et factorum gravitate præseferunt; ita perniciosissimo scandalo et quasi quadam peccandi licentia ii plurimum depravant, qui moribus laxiores sunt, aut alicujus vitii fœditate notantur. Ea sane est mens divi Gregorii Magni, qui homilia decimaseptima in Lucæ Evangelium ajebat: *Nullum puto, ab aliis majus præjudicium quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debemus.*

Nos equidem Nobis gratulamur et gratias Deo plurimas agimus, quod clerum habemus nec suæ dignitatis oblitum, nec officiorum suorum negligentem. Quia tamen bono semini inimicus homo superseminat aliquando zizania, nonnulla statuere necessarium ducimus, quæ vel devios reducant vel erraturos retineant, quæque ex provincialis Concilii decretis et Prædecessorum nostrorum constitutionibus magna ex parte desumpsimus.

Primo itaque « meminerint Clerici, beneficiorum ecclesiasticorum proventus, qui post honestam sustentationem supersunt, pauperibus et Ecclesiæ esse tribuendos. Si autem habent aliquos e propinquis pauperes, possunt pro familiæ conditione eorum necessitatibus consulere, ut minus egeant, non ut ditescant aut otio indulgeant. »

« Bona beneficii, quod ex justitia in integro

statu semper servandum et pro viribus in melius provehendum est, ita administrent, ut neque characteris sacerdotalis obliti videantur, neque laicorum justis objurgationibus causam præbeant. »

« Domum suam ita regant, ut decet Christi ministros; et in omni re sobrii sint, ne propter nimias impensas pauperum necessitatibus desint. »

« Mandat præterea Provincialis Synodus servandos esse sacros canones, qui negotiationem Clericis interdicunt, sive eam per se sive per alios exerceant, et pœnas contra reluctantes constitutas in memoriam revocat. »

Mandat item, ut « Clerici tonsuram semper gestent; *ut* comam neque nutriant, neque sæculi more discriminent; *ut* pilos circa genas abradant; *ut* vestes induant honestas et simplices, nigri vel saltem subobscuri coloris, quæ mundi pompam non sapiant, et ita aptatas, ut indusium non appareat et superior ultra genua descendat. » * Galeri forma ea esto, quæ presbyteros deceat: in urbe vero aliisque insignioribus oppidis Clericorum propriam adhiberi exoptamus.

Hortamur autem cum eadem Provinciali Synodo sacerdotes, « ne laicorum consuetudinem affectent, ubi periculum adesse possit: quoties vero cum laicis versantur, ita se gerant, ut, urbanitatem simul cum gravitate consociantes, sa-

*) *Conc. Prov. par. II. cap. XI.*

cerdotali characteri reverentiam concilient. »

« Hortamur etiam ne in locis, quæ vulgo vocantur *Caffè*, immorentur. »* Ne vero cauponas adeant, nisi ex legittima et honesta causa, omnino prohibemus; et Vicariis foraneis, ipsorum conscientiam graviter onerantes, mandamus, ut si quem eas frequentare, vel etiam alibi sese inebriantem deprehenderint, eum prima et secunda vice ipsi commoneant, tertia autem ad Nos referant, qui pœna suspensionis Nobis reservatæ in eum animadvertemus. Diaconos et subdiaconos ea culpa reos dilata ad arbitrium nostrum superioris Ordinis collatione, minoribus initiatos indicta clericalis habitus depositione puniemus. Venerabilis demum antecessoris nostri Francisci Bembi exemplo et auctoritate ducti *foraneos clericos ad civitatem accedentes hortamur, ne ad tabernas divertant, sed apud cognatos, si qui sunt, vel alias honestas personas hospitentur.* **

Hortamur præterea ne venationibus ita indulgeant, ut studium cœteraque sui muneris officia negligant; et Provincialis Synodus mandat, ut a vetitis ludis abstineant, et choreas devitent, neque scenicis spectaculis intersint; quibus « si quis sacerdos sive ex nostratibus sive ex alienigenis in publico theatro interfuerit, decernit, ut mane subsequenti a Missæ celebratione abstineat. » ***

Mandat insuper ut « mulierum, etiam pietate

*) *Conc. Prov. loco citato.* **) *Synod. Bembi cap. XXI.*
***) *Conc. Prov. loco citato.*

præstantium, familiaritatem sacerdotes devitent. Quare etiam atque etiam instat, ne quis sacerdos sine Episcopi licentia puellas instituendas suscipiat. » Vetat vero graviter sub pœnis ab Episcopo infligendis ne sacerdotes cum quacumque suspectæ vitæ muliere cohabitent, etiamsi consanguinitate vel affinitate sit conjuncta, et ætate provecta; » ac demum præcipit, ut « sacerdotis famula, præsertim si solus cum sola degat, non modo honestissima sit, sed etiam ætatis canonicæ, ut famæ consultum sit. » *

Quoniam spiritualia, uti vocant, exercitia, a Provinciali Synodo summoque Pontifice Pio IX enixe inculcata, crebro dehinc Nos clero exhibere posse confidimus, omnes vehementer hortamur, ut libenter ac sincero ecclesiastici spiritus et fervoris in seipsis excitandi proposito iis intersint. Quos vero expresse invitabimus, si obtemperare renuerint, inflictis pœnis adigemus.

Horas canonicas digne, attente ac devote esse recitandas presbyteri semper meminerint; et subsequentis diei Matutinum et Landes persolvere vespera semper curent, ut ad Missæ celebrationem se se melius disponant; non enim ignorant moralis disciplinæ Doctores culpæ obnoxios eos censere, qui illas divini Officii partes post Missam habitualiter vel sæpissime differunt.

Tempus denique suum inter orationem, studium, charitatis officia suique munia ministerii

*) *Conc. Prov. loco citato.*

ita distribuant, ut nullus otio, quod est vitiorum parens pravarumque animi affectionum fomes, locus relinquatur. Uno verbo, sibi unusquisque singillatim a Christo Domino dictum putet, illudque mente alte defixum retineat, et semper præ oculis habeat: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.**

Caput II.

De Canonicis.

Quoniam a Benedicto xiv. didicimus, *non necesse esse, ut in qualibet Synodo novæ semper condantur leges, sed quandoque expedire antiquas tantum instaurare earumque insistere observationi;*** et quia sapientissime a nuper laudato antecessore nostro Francisco Bembo constituta reperimus, quæ reverendissimum Canonicorum collegium respiciunt; ejus hac in parte decreta iterare ipsisque ejus verbis referre voluimus, ut et Canonicis obsequentes dignosceremur, et ipsi legibus multorum annorum auctoritate probatis uterentur.

« 1. Vos *igitur*, Cathedralis nostræ Canonici, hoc capite allocuturi, non tantum filios, sed et fratres vocamus, utpote ad maximum et perpe-

*) *Math. v. 16.* **) *De Syn. Diœc. lib. VI. cap. 1.*

tuum ministerii nostri et pastoralis sollicitudinis adjumentnm adscitos. Quoties ergo mente volvetis, vos ob gradus dignitatem altiora subsellia in Cathedrali sortitos esse, gravissimæ vestræ vocationis recordabimini, ut morum integritate, pietatis cultu, sacrorum canonum observantia et divini servitii diligentia et assiduitate cæteris antecellere et superesse studeatis, ac honorificam ecclesiastici Senatus appellationem promereri. »

« II. Cum autem præcipuum Canonicorum munus sit religiosa vocis modulatione pioque cordis affectu divinas laudes in Choro celebrare,.. caput XII. de Reformatione sessionis XXIV. Concilii Tridentini eisdem præ oculis proponimus.»

« III. Omnes per se divina obeant officia; et semper adsint in Choro saltem quinque Canonici; Nobisque pontificaliter celebrantibus vel assistentibus aut alia pontificalia exercentibus Canonici omnes assistant et inserviant, præcipue Decanus, cum sit unica dignitas in nostra Cathedrali. »

« IV. Nemini liceat a residentia, hoc est ab Ecclesiæ personali servitio, statis horis abesse ultra tres menses quolibet anno; quod si secus fiet, contra absentes juxta mentem et præscriptum ejusdem Tridentini Concilii procedemus. »

« V. Trimestris autem absentia numquam tempore Adventus, Quadragesimæ, Natalis Domini, Paschatis aliarumque majorum solemnitatum admittenda erit; ne, dum fideles ad Ecclesiam frequentius confluunt, ea potiori digniorique ser-

vitio destituatur. »

« VI. Quoties vero aliquis e Canonicis uti voluerit trimestri permisso, Nos prius et Capitulum certiores faciat; nemoque discedat unquam a Diœcesi, nisi Nobis aut Vicario nostro generali et Capitulo data notitia, ut juxta Canonicorum numerum Ecclesiæ nostræ opportuno et debito consulamus obsequio. »

« VII. Solemnia sacra statutis diebus celebrentur; et quotannis fiat Anniversarium pro Episcopo ultimo defuncto. »

« VIII. Sciat Decanus, se tanquam oculum Episcopi constitutum esse ad invigilandum, ut omnia Ecclesiæ ministeria ad normam sacrorum canonum et Cæremonialis Romani peragantur. Quidquid a Nobis aut decretum aut decernendum erit circa Dei cultum, Ecclesiæ jura decus et ornamentum, piosque Ecclesiasticorum mores, attente curet ut executioni mandetur. Si quem e Clericis cujuscumque ordinis in proprio munere negligentem nostrisve constitutionibus minus obtemperantem cognoverit, pœnarum metu vel stimulet vel coerceat; et si graviori manu opus fuerit, rem ad Nos quantocius deferat, ut in deficientes pro qualitate facti animadvertere possimus. » Attente item invigilet ut Choro semper intersint qui aliquod e Cathedralis beneficiis obtinent, quibus quidem eam Chori frequentiam serio inculcamus.

« IX. Canonicus Lector in nostra Cathedrali præbendam obtinens, quæ theologalis vicem

supplere videtur, suas partes per se diligenter et studiose adimpleat; secus a Nobis providendum erit, ut in sacro Tridentino Concilio statutum est. Quibus diebus sacram lectionem habiturus erit, etiamsi divinis non interfuerit officiis, quotidianas tamen lucretur distributiones. Et quoniam ad hujusmodi præbendam industria et habilitas personæ maxime attendi debet, ex speciali decreto S. Congregationis declaramus, eam optioni non subjacere. His autem lectionibus Clericos omnes volumus, cæterosque hortamur semper adesse. »

« x. Canonicus Pœnitentiarius omni sedulitate audiendis confessionibus incumbat; et non solum requisitus, sed sponte ad sedem confessionalem sæpius accedat, solemnioribus præsertim diebus ac tempore Adventus et Quadragesimæ, ut promptitudo Pœnitentiarii pœnitentibus sit exemplo. Dum vero confessiones excipit, pro præsenti tam in Choro, quam in Processionibus et Exequiis defunctorum haberi volumus. »

« xi. Et quoniam dignitas et res Capituli Nobis summopere cordi sunt, pro conventibus recte habendis rebusque ejus et juribus tuendis plura statuenda duximus. Quoties ergo Capitulum convocandum erit, quod nunquam fiet diebus festis aut dum divina celebrantur, jussu Decani eove absente senioris Canonici, personaliter aut ad eorum domos per juratum nuncium pridie, nisi necessitas urgeat, singuli Canonici citentur, indicata saltem in genere convocationis causa,

ut interesse frequentes possint, et ea, quæ discutienda sunt, maturius deliberare. Si de rebus arduis agendum sit, triduo ante Capitulum indicatur. Neque solum quoties aliquid novi emerserit, sed ut singulis saltem mensibus ad consulendum de suis rebus congregetur congruum est.

« XII. Conventus loco solito semper fiat; et, ut rectum consilium e cœlo veniat, cum invocatione divini Spiritus et gratiarum actione a Præside dicendis incipiat et concludatur. »

« XIII. Canonici ut supra citati et non legitime impediti omnes conveniant, et suo loco sedeant votumque proferant, nec quisquam sine Præsidis licentia e Capitulo discedat. Si variæ fuerint sententiæ, uniformia tamen semper sint corda, et mutua charitate soliusque veritatis et justitiæ studio omnia examinentur, jurgiis et rixis prorsus remotis. Quæ si forte oriantur, quamprimum Decanus componere studeat; si quæ vero graviores acciderint, ad Nos deferat, ut nostra sollicitudo et præcipuus amor accurrat. »

« XIV. Nihil proponatur, quod Ecclesiæ decretis et sacris canonibus adversetur; secus irritum et inane declaramus. »

« XV. Quælibet propositio aut pars, antequam calculis subjiciatur, a Cancellario scripta distincte et clare prælegatur, suffragiis inde secretis tantum admittatur vel reprobetur. Nec aliud deliberandum proponatur nisi pars postremo capta a Cancellario in libro adnotata fuerit, sub pœna nullitatis ejusdem. »

« xvi. Nemo proponat vendere aut quoquo modo alienare quidquam immobilium vel mobilium Capituli aut Ecclesiæ sine licentia nostra. Nec capitalia, quæ ex legitima consolidatione, aut redemptione, aut aliter debent iterum tuto innovari, in alios usus convertantur, juxta canonum constitutiones et præcipue Bullam Pauli II. »

« xvii. Quoties aliquid in Capitulo decernendum fuerit super rebus Ecclesiæ a Massario administratis, Massarius ipse admoneatur. »

« xviii. Hic vero, cum munus suscipit, fidejussorem pro se habeat a Capitulo approbandum et singulis annis suæ administrationis rationem reddat apud duos Canonicos ad id electos; qui etiam vigilent, ne Mensa Capituli deterior fiat per eos qui solvere negligunt vel renuunt, sed capitalia in pristinum restituantur. »

« xix. Nulli e Canonicis liceat officia et munia sibi a Capitulo designata sine ratione recusare. Nec liceat ulli per se vel per interpositas personas bona Capituli conducere, quæ per extraneos administrari debent, ut rebus suis Capitulum provideat fortiori manu. »

« xx. Scripturarum omnium et bonorum ad Capitulum, præbendas canonicales et Ecclesiam pertinentium index quamprimum fiat. Ad tutam autem capitularis archivii custodiam duas diversas claves duo Canonici quotannis deputati habeant, qui instrumenta, statuta, catastica, inventaria et acta omnia diligenter, fideliter et

ordinate asservare teneantur. Nulli unquam scripturæ authenticæ tradi possunt; exempla vero nonnisi de licentia Capituli. »

Caput III.

De Vicariis Foraneis.

Alterum post Canonicos dignitatis gradum obtinent Vicarii Foranei, per quos, quum adesse ubique Nos non possimus, nec omnia propriis Ipsi oculis inspicere, necesse est, ut potestatis et pastoralis sollicitudinis nostræ partem exerceamus. Per eos sane canonicis legibus custodiendis, parœciis earumque beneficiis recte administrandis, ecclesiarum cultui tuendo, Clericorum moribus regendis et corrigendis, cæterisque omnibus,quæ ecclesiasticam disciplinam et regimen animarum respiciunt, procurandis, quasi ubique præsentes invigilamus atque prospicimus.

Quare summa eos fiducia præcipuoque honore prosequi omnino Nobis certum est; sed simul poscimus et exoramus, ut pari studio parique prudentia et charitate adjutricem Nobis in ministerio nostro operam præstent; illudque inter cætera efflagitamus, ut nec personas respicientes ea Nos latere velint, quæ scire interesset, nec nimium severi aggravent quæ erunt relaturi. Cæterum quas speciatim facultates ipsis concedere et quæ munia deferre placuerit, datis iterum post harum promulgationem constitutionum litteris, singulis edicemus.

Interim Parochis reliquisque omnibus cujusque Vicariatus Clericis mandamus, ut quos ubilibet, habita non locorum aut personarum sed meritorum ratione, Vicarios constituerimus, eos ut nostros reapse Vicarios revereantur, et debito honore ad se ex officio venientes excipiant, iisque non secus ac Nobis auctoritate nostra præcepturis obtemperent.

Caput IV.

De Parochis eorumque Coadjutoribus.

Sequitur Parochorum dignitas, quorum sicut præcipua et efficacior, utpote propior, in vinea Domini excolenda est opera, ita scientiam et mores præcipua Nobis diligentia spectandos esse intelligimus et a SS. D. Pio Papa IX Encyclica *Qui pluribus* admonemur; non enim ignoramus, *Parochis officii sui ignaris vel negligentibus*, ut idem Pontifex ait, *continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi.* Quoniam vero quæ de vita et honestate Clericorum paulo superius generatim statuimus et inculcavimus ad eos speciatim maxime pertinent, et quia pleraque eorum officia quoad fidei doctrinam Deique cultum et sacramentorum administrationem suis locis attigimus et declaravimus, ea hic iterare minime

præstat, sed pauca quædam, quæ sunt Parochorum propria, addidisse sufficiat.

Primo itaque, etsi fateamur raro admodum et justa semper de causa evenire, ut Parochi nostræ hujus diœcesis a sua absint parœcia, eos tamen monemus, Provincialem Synodum graviter præcipere ut apud Ecclesiam sibi commissam, quocumque eam titulo, etiam temporario, obtineant, sollicite resideant. Nos autem mandamus, ne a parœcia discedant quin certiorem faciant Vicarium foraneum si etiam die festo sint abfuturi, Nos vero ipsos aut Vicarium nostrum generalem si ultra quatuordecim dies, denunciantes etiam cui presbytero gregem suum eo tempore custodiendum relinquant. Adventus et Quadragesimæ tempore ne prædicandi quidem causa abscedant, si id fieri nequeat, quin suis in proprium gregem officiis deesse cogantur.

Missæ sacrificium offerendum esse pro populo non solum iis diebus, qui de præcepto festi nunc sunt, sed iis etiam, qui, festi quondam, e festorum numero sublati fuerunt, SS. D. Pius Papa ix constituit Encyclica *Amantissimi Redemptoris* die tertia Maji anno 1858; et Provinciale Concilium declaravit, *quæ in ea decreta sunt ab omnibus et singulis, qui parochiales ecclesias, sive alio quocumque modo animarum curam habentes, et quocumque titulo, etiam temporario, obtinent, esse servanda.*

Idem porro Provinciale Concilium Parochos enixius hortatur, ut oves sibi commissas, *omnes*

aliquoties invisant, et monita salutis opportune et prudenter illis insinuent; utque *pauperum præsertim, viduarum, pupillorum* ac potissime ægrotantium *curam habeant*, eisque *et salutari consilio et consolatione et re subveniant hilariter, prout quisque poterit.* Ante omnia vero inculcat, ut cogitationem, sollicitudinem, curam, studium denique omne collocent in grege suæ fidei concredito custodiendo atque ab omni peccati labe præservando, *non tam de juribus, quam de officiis rite adimplendis solliciti.* Quem in finem auxilia sibi etiam externa aliquando comparare satagant, sacrarum in primis exercitia Missionum, quarum efficacissimam esse operam in moribus corrigendis neminem latet.

Cooperatores vero, quos et convictores Parochorum lætamur esse semperque volumus futuros, ceu filios Parochi complectantur et in omnibus habeant; ut, eorum sibi conciliata dilectione et reverentia, in mutua semper charitate maneant, et conjunctis viribus animarum salutem alacrius prosequantur, dissensionesque et jurgia, quæ tanto fidelibus scandalo esse solent, omnino devitent. Eos insuper, recens præsertim e Seminario dimissos, consilio et exemplo juvare studeant, quo et in civili consortio tuto se gerere, et sacri officia ministerii recte et facile adimplere condiscant.

Eadem benevolentia et charitate prosequantur etiam mansionarios, uti vocant, presbyteros; qui tamen non solum in hac parte mutuas Pa-

rochis vices reddere, sed et in sacro ministerio cooperari ac sedulo inservire se omnino debere sciant. Quod quidem debitum ne forte prætextu aliquo detrectare præsumant, hisce promulgatis constitutionibus, contractus Nobis exhibeant, quibus conducti sunt vel dehinc conducentur, ut eos recognoscamus, et quibus Nobis videbitur conditionibus augeamus.

Concursus quod attinet ad Ecclesias vacantes, haud equidem in hac diœcesi lugemus quod Provincialis Synodus queritur, esse nempe « qui nulla interveniente legitima causa translationem ad pinguiora beneficia non raro petant, qui non gregem ut boni pastores, sed mercenariorum more lac potius et lanam diligere facile convincuntur. » Illud potius lamentamur, singulos fere concursus petentium numero deficere, immo nonnullos penitus carere; quo fit, ut digniores semper eligere nequeamus. Quare etiam atque etiam Clerum nostrum hortamur et in Domino obsecramus, ut quavis vacante Ecclesia frequentior concurrat, memor se non otiose esse Christi sacerdotio insignitum, ejusque fore in cœlis majorem mercedem et ampliorem gloriam, qui plura operatus minorem habuerit in terris. Cæterum in omnibus dehinc concursibus talari veste candidatus utatur, idemque, qui hucusque viguit, petitionum et examinum ordo servetur. Statuit tamen Provincialis Synodus, ut « si ad plura beneficia uno concursu idem candidatus adspiret, ut hoc vel illud obtineat, de ejusdem ad sin-

gula beneficia idoneitate singulare judicium proferatur. Sciant tamen examinatores jus et officium suum esse tantum renunciare quinam idonei habiti sint; judicium vero de majori concurrentium idoneitate ad Episcopum vel Patronum pertinere. »

Caput V.

De Seminario Clericorum.

Omnis clericalis militia et hierarchia in Seminariis instruitur, quæ adolescentibus in sortem Domini vocatis excipiendis et ad sacri munia sacerdotii doctrina et moribus instituendis sapientissime Tridentina Synodus in qualibet diœcesi erigenda præcepit. Cujus quidem decretis Prædecessores nostri obsequentes hanc etiam diœcesim Seminario ditaverunt, quod ob varias temporum vicissitudines pluries collapsum instauratumque, faustissimis demum auspiciis, Mauro Cappellari bellunensi ad romani Pontificatus apicem evecto, collatisque tum ab eo præcipue tum a totius diœcesis clero et civibus pecuniis, iterum apertum est et de glorioso Gregorii xvi nomine Gregorianum appellatum. Atque utinam nova temporum iniquitate non obturbatum eadem etiamnum auspiciorum felicitate revera uteretur! Id nimirum augurantes totoque desiderio exoptantes hæc, quæ profutura speramus, statuenda esse censuimus.

Disciplinæ regulas sapientissimas, quas suo Patavino Seminario constituit B. Gregorius Barbadicus, paululum tamen, si opus videbitur, pro temporum et locorum diversitate a Nobis immutandas, nostrum recipiat et observet. Cum vero earum fructus e Superiorum vigilantia maxime pendeat, ea « ita sit moderata et discreta, ut ne ad minima quæque nimis subtiliter attendat, nec animos quibusdam veluti vinculis onerosis constringat, quæ odium pariant et impediant quominus juvenum indoles sese exerat. » * Adhibeatur tamen diligentissima in admittendis alumnis, maxime si extranei sint vel ab aliis Institutis dimissi, ne eveniat ut pravis moribus infecti alios inficiant; et si quis certis indiciis pravus deprehendatur, nec spes effulgeat emendationis, quamprimum ejiciatur.

« Pietatis exercitia, inter quæ potissimum locum obtinet sacramentorum frequentia, sedulo promoveantur; ita tamen ut alumni persuasione et amore ad ea animum applicent, tamquam ad optima virtutum ac pietatis fomenta; ne, si forte timore aut humanis respectibus moveantur, perniciosum hypocrisis habitum induant. » ** Clerici exerceantur quotidie etiam meditatione, quæ et varia sit ne tædium pariat, et succi plena ut pietatis fructus revera afferat.

Præcipua vero solertia exploranda est in Clericis indoles et vocatio fovenda; « sed id potis-

---

*) *Conc. Prov.* **) *Idem.*

simum procurandum, ut pietate et integritate vitæ commendentur, cum experientia manifestum sit, etiam mediocris aut etiam tenuis ingenii homines, si spiritu ecclesiastico ac vero salutis animarum zelo sint inflammati, uberiores fructus afferre in vinea Domini, quam eos, qui præclaris ac præcipuis istis dotibus destituti aliunde multa doctrina et scientia præstant. » * Ut vero a pietatis cultu et doctrinæ studio quam minimum distrahantur, mandat Provincialis Synodus ne unquam per annum scholasticum, nisi gravissima suadente causa, domum abire sinantur.

Quoad studiorum ordinem ac litterarum scientiarumque tradendarum methodum, programmati ab eodem Provinciali Concilio proposito, peculiaribus tamen Seminarii nostri conditionibus a Nobis accomodando, quanto pressius fieri poterit inhæreatur. Certum interim esto, quemlibet clericum, qui discendi fuerit pertinaciter negligens, dignum habitum fore, cui illud Oseæ (4, 6) merito intimetur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris.*

Quia vero ad cujusvis Instituti prosperitatem requiritur, ut omnes, qui quavis ei ratione addicti sunt, in ejus bonum ex animo cooperentur, omnes ideo non modo disciplinæ præpositos sed et scholarum magistros reique œconomicæ procuratores summis precibus exoramus, ut suas quisque partes fidelissime et diligentissime ad-

*) *Conc. Prov.*

impleant, suamque operam præstent ex vero studio et zelo ejus Instituti juvandi inque melius provehendi, in quo totam idoneorum Ecclesiæ nostræ ministrorum spem positam esse sciunt. — Eadem de causa summa cura in deligendis habendisque famulis est adhibenda, quos non solum suis officiis exequendis aptos, sed etiam probos ac benemoratos esse oportet, quibusque christiana institutio procuranda est et Sacramentorum frequentia inculcanda, ut tum eorum saluti tum etiam Seminarii utilitati prospiciatur.

Verum non ita, ut par esset, leges et statuta profutura speramus, cum res et opes non suppetant, quibus et convictus commodius agi, et docentium opera remunerari decentius, et clericorum egestati largius possit subveniri. Quare piam fidelium largitatem iterum enixe imploramus; quorum animos fervidas quidem sed tamen prudentes Parochorum hortationes permoturas confidimus, ut saltem velint eos suis opibus juvare, qui certa vocationis signa præseferunt, nec habent quo recipi et ali in Seminario possint. Ut autem quæ ex duorum illustrium Prædecessorum nostrorum legatis exiguntur pecuniæ fideliter in clericorum pauperum subsidium pergant distribui, iis potissimum conferantur, qui jam Theologiæ cursum ingressi sunt et egestate præ cæteris laborant; caveatque studiosissime Seminarii Moderator, ne tali beneficio eos afficiat, quos aut non reapse vocatos aut quomodocumque abusu-

ros suspectet.

Juxta demum Concilii Tridentini decreta, quæ Provincialis Synodus *alicubi in desuetudinem abiisse* queritur, ac proinde *præcipit ac stricte injungit, ut in vigorem pristinum revocentur et applicentur ad praxim*, Deputati è Capitulo et Clero canonice electi constituentur, qui alumnorum institutioni et educationi assidue invigilent, et bonorum ac redditaum administrationem quotannis inspiciant.

Caput VI.

De Monialibus.

Ab ecclesiasticæ hierarchiæ personis naturali ad eas gradu descendimus, quæ vel consimili voti religione Deo consecrantur, vel piæ alicujus laicorum sodalitatis vinculo obstringuntur.

« Ad vos itaque primo convertimur, sacræ virgines, lectissimæ Jesu Christi sponsæ, lilia in horto concluso, columbæ in foraminibus petræ, a cœlesti Sponso blandis hisce nominibus nuncupatæ, et in mulieribus ad Tabernaculi ostium excubantibus ac in virginibus prope templum Salomonis in conclavi assidue orantibus præfiguratæ. Vos optimam partem elegistis; vos, abdicatis sæcularibus desideriis et mundi illecebris, uni Deo placere et inservire constituistis; eique vestræ virginitatis flore inviolabiliter consecrato, eum vitæ statum professæ estis, cujus dignitas

angelicam propemodum superat. Studete igitur, filiæ dilectissimæ, tantum decoris ac dignitatis apicem virtutum splendore exæquare, obedientiæ præsertim, quæ cæteras complectitur; pro cujus majori merito, quæ vos sponte agitis et tenetis, ea tamquam præcepta vobis edicere hisce constitutionibus proposuimus. »

« I. Cum ergo in primis monasteriorum monialium clausuræ cura Episcopis sub obtestatione divini judicii commissa sit, strictissime jubemus eam religiosissime inviolatam servari; nec ulla unquam monialis extra sacras ædes, exceptis casibus a jure permissis, efferre pedem, nec alius quispiam cujusvis sexus, ætatis, gradus, conditionis eas ingredi sine nostra licentia præsumat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ et Apostolicæ Sedi reservatæ. Abbatissam vero aliamve Superiorem, quæ id permitteret, aliis præterea pœnis arbitrio nostro puniemus. »

« II. Medici, chirurgi, fabri, aliique id genus ministri et operarii, qui specialiter a Nobis cogniti licentiam a Nobis ingrediendi ob necessitatem septa monasterii obtinuerint, data facultate utantur tantummodo quum et quoad necessitas postulat. Ad ostium porro monasterii a duabus e senioribus monialibus excipiantur, et, dato campanulæ signo quo cæteræ secedant, ad locum operis recto tramite deducantur, ac inde eadem via eodemque ordine reducantur et emittantur. Non ingrediantur ante solis ortum nec post occasum intus remaneant; quod si, urgente necessi-

tate, confessario aut medico vel chirurgo noctu ingrediendum sit, ingrediatur accenso funali cereo, et Abbatissa seu Vicaria duabusque ut supra monialibus comitantibus. Qui secus fecerint, vel alias concessis licentiis abusi fuerint, eamdem excommunicationis pœnam incurrent. »

« III. Hujusmodi licentiæ pro ordinariis ministris singulo trimestri erunt a Nobis confirmandæ, easque et alias peculiares et omnia decreta ab Abbatissa custodiri præcipimus, ostendenda Nobis in visitatione et quoties Nobis libuerit. »

« IV. Clausuræ januæ semper sint duabus obseratæ clavibus, quarum una ab Abbatissa noctu asservetur, altera a seniori janitrice. Non aperiantur nisi ex causa necessaria et assistentibus janitricibus; nunquam autem ad colloquendum ne cum proximioribus quidem consanguineis, neque ad emittenda vel introducenda ea, quæ transire per rotas possunt. »

« V. Ad omnem cum externis perniciosam communicationem tollendam, prohibemus cuilibet moniali epistolas ad quempiam scribere vel mittere, nisi necessaria aut justa de causa et permittente Abbatissa, cui et quæ mittuntur et quæ recipiuntur litteræ semper ostendendæ sunt. Si quæ monialis (quod nunquam fore pro certo habemus) litteras inhonestas scripserit, dictaverit, miserit, vel scienter receperit, ejus criminis absolutionem Nobis reservamus. »

« VI. Quavis externa relatione ita interclusa, animum et vires ad votorum et regulæ observan-

tiam moniales unice applicent; omnia sibi præscripta pietatis exercitia religiose frequentent; voti paupertatis memores nulla bona mobilia vel immobilia tamquam propria sibi retineant; mobilia vero ab Abbatissa sibi permissa nec superflua habeant nec sumptuosa; victu et vestitu utantur communi, nihilque prorsus inter se differant; obedientia tandem ita sint conspicuæ, ut omnibus vel nostris vel Abbatissæ præceptis prompte, libenter et humiliter obsequantur. »

« VII. Et quia ad perfectiorem monialium vitam confessarii prudentia et scientia plurimum confert, ad id munus nonnisi sacerdos ætate maturus, consilio gravis, doctrina et moribus probatus assumendus est. A Nobis propterea examinandus erit et approbandus, tunc etiam cum facultatem a S. Sede ipsi prorogari contigerit. Sciat tamen se, licet ad triennium electum et confirmatum, ad beneplacitum nostrum esse duraturum. »

« VIII. Confessiones excipiat veste talari et stola indutus, semper in loco ad id deputato, nec unquam ante auroram vel post noctis crepuscula. In alienis a sacramento Pœnitentiæ rebus ne se immisceat, sub acrioribus pœnis arbitrio nostro. Quoties claustra monasterii sacramenta monialibus infirmis administraturus ingreditur, exceptus ad fores a duabus e senioribus monialibus recta ducatur ad cubiculum infirmæ, cujus confessionem excipiat patente janua, quamque sacramentis aliis communiat præsentibus moniali-

bus prædictis. Collatis autem sacramentis, animaque Deo commendata, non diutius immoretur, sed monialium curæ relinquat morientem ad pie sancteque vitæ transitum obeundum adhortari. Qua via et ordine ingressus fuerat egrediatur, ad nullam aliam monasterii partem, nec ad alias infirmas, quæ sacramentis non indigeant, divertens; secus violatæ clausuræ pœnam incurret. Cæterum monasterii claustra numquam introeat, nisi prævia nostra licentia. »

« IX. Aquam, cineres, palmas et candelas suis temporibus benedicat et monialibus distribuat, missas solemnes celebret, exequias et anniversaria persolvat, cooperante, si opus fuerit, cappellano. »

« X. Bis terve in anno confessarius aliquis extraordinarius a Nobis deputandus in ejus locum sufficietur, cujus munus erit administrare tantum sacramentum Pœnitentiæ, servatis iis, quæ supra ordinario præscripta sunt. Uterque autem habeat monasterii constitutiones, ut exactam earum observantiam queat promovere. »

« XI. Fenestella pro confessionibus audiendis cancellis ferreis, et ferrea lamina exiguis foraminibus terebrata, veloque interius apposito et nunquam amovendo munita sit. Ea vero nemo ad colloquendum utatur, nec ipse confessarius extra confessionem, præterquam cum Abbatissa de rebus monasterii. Nullius item colloquio inserviat fenestella, per quam SS. Eucharistia monialibus ministratur, ejusque claves custodiat Abbatissa. »

« XII. Cappellanus monialium suo tantum munere fungatur, ab omni cum monialibus colloquio abstineat, nec in re ulla monasterii se ingerat. »

« XIII. Ministri, famuli, famulæ, fabri et cæteri operarii a Nobis approbentur antequam ad servitium recipiantur. »

« XIV. Nulla ad regularem habitum vel ad professionem candidata admittatur, nisi ejus libera voluntas prius a Nobis explorata fuerit. Quare Abbatissa uno saltem ante mense Nos professionis faciendæ certiores reddat, ut opportune nostro huic muneri satisfacere possimus; quod si neglexerit, arbitrio nostro punietur. Admittendæ ad habitum sint legitimæ ætatis, omnesque habeant conditiones a monasterii et ordinis regula requisitas; professio vero non emittatur nisi post integrum annum probationis. In earum admissionem canonice consentiat monasterii Capitulum, cui tamen nec proponantur sine nostra licentia; et priusquam habitum induant vel professionem faciant, spiritualibus decem dierum exercitiis, confessario dirigente, præparentur. »

« XV. Dotalis eleemosina juxta taxam, numerata pecunia tantum constituta, apud aliquam honestam tutamque personam, antequam puella religionis habitum induat, deponatur; emissa vero professione, monasterio statim integre tradatur, ut quamprimum caute investiri possit; et interim anticipatis trimestribus solvatur pro alimentis novitiæ quod est in usu. »

« XVI. Occasione suscipiendi habitus et pro-

fessionis emittendæ abstineant moniales ab omni splendido et vano cultu et a conviviis cum nimio parentum et cognatorum sumptu; nec in ecclesia fiant concentus musici sine nostra licentia. In festis item solemnioribus nulli fiant in ecclesia inanes apparatus, sed in simplicitate et paupertate decori et pii. »

« XVII. Bonorum omnium administratio sit penes Abbatissam et alias officiales ad hoc electas, quæ singulis semestribus dati et accepti rationem reddant Capitulo, ut quælibet monialis statum monasterii cognoscat. »

« XVIII. Abbatissa eligatur non minor annis quadraginta, et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Electio vero fiat Nobis vel Vicario nostro præsentibus, omni posthabita affectione, et votis ita secretis, ut eligentium nomina nunquam publicentur. Electæ administratio triennium non excedat. »

« XIX. Alienæ pecuniæ, gemmæ, vestes aliaque hujusmodi pretiosa pro deposito in monasterio non recipiantur sine nostra licentia. »

« XX. Puellæ sæculares educandæ non admittantur sine nostra permissione et monialium capitulari consensu, nec minores septennio nec vigesimo anno majores: vigesimum-quintum prætergressæ dimittantur. Educentur autem in loco a monialibus separato sub disciplina magistræ ad id electæ; communi victu modestoque ac uniformi vestitu utantur; ad crates nisi cum magistra aut una ex discretis non accedant, et omnibus

clausuræ legibus subjaceant. Semel egressæ, præterquam infirmitatis causa, non amplius admittantur. Quæ vitam monasticam elegerint, prius domum redeant, ut religiosam et sæcularem vitam clarius internoscentes, penitiori consilio eam præferant, quam pro viribus ad æternam salutem consequendam sibi opportuniorem judicaverint.»

« XXI. Hoc capitulum, ut rectius a monialibus intelligatur, itale redditum ipsis volumus exhiberi. »

« XXII. In reliquis, dilectissimæ filiæ, enixe attendite et studiosissime servate vestri instituti disciplinam, monasterii regulas, superioris constitutiones, ac decreta tum in visitatione nostra istaque synodo statuta, tum postmodo statuenda, ut facilius et tutius per obedientiæ aliarumque virtutum semitam ad sublimem perfectionis apicem accedatis: memores uni Christo vos desponsatas esse, ut ei arctissimo charitatis vinculo adhæreatis, et vestrum quælibet de suo Sponso jure profari queat: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* » *

Caput VII.

DE PIIS LAICORUM SODALITIIS.

Pias denique, prout in superiori capitulo proposuimus, laicorum sodalitates attingimus,

*) *Totum hoc de monialibus capitulum ex Synodo Francisci Bembi descripsimus.*

quæ, vel antiquitus institutæ, vel fundatæ recentius, vel pro temporum mutatione reformatæ, diversam quidem sed omnes perutilem in religionis, morum et communis vitæ bonum operam conferunt, quasque, et Provinciali Synodo auctore et pastorali nostra impellente charitate, obfirmare et promovere summopere nitimur et exoptamus.

Parochos itaque omnesque animarum curatores vehementer hortamur, ut in sua quisque parœcia ea studeant sodalitia excitare, quæ suorum fidelium conditionibus accomodatiora cognoverint, eaque non ad vanam pompæ ostentationem sterilemve solemnitatum apparatum, sed ad veram meliorum charismatum æmulationem satagant informare. Ut vero securius inter varias eligant societates, præter eam, de qua supra ubi de blasphemia, has quæ sequuntur, duce Provinciali Synodo, præcipue commendamus.

1. Societates *De propaganda fide* et *Sacræ infantiæ*, quæ pauculis per singulos socios collatis pecuniis assidua iis auxilia præstant, qui in regiones longissime dissitas gentesque barbaras se conferunt Evangelii lucem sedentibus in umbra mortis et infantibus crudelissime abjectis Baptismi gratiam allaturi, quique veterum non raro Apostolorum et sanctorum Martyrum instauratis exemplis Crhisti religionem mirifice amplificant, sunt adeo præclara fidei simul et charitatis instituta, ut nunquam satis commendata arbitremur.

2. Ordo tamen charitatis postulat, ut potiori commendatione eas prosequamur sodalitates, quæ tum corporalibus tum spiritualibus nostratum indigentiis opitulantur. Hic porro inter alias eam commemorare animus gestit, quæ *S. Vincentii a Paulo* patrocinio et nomine gloriatur, cujusque saluberrimam operam, Nobis auctoribus, hæc jam civitas experitur.

3. Confraternitati *SS. Sacramenti* societatem *Sacratissimi Cordis D. N. Jesu Christi* maxima qua possumus animi sollicitudine adjungi inculcamus, tum ut charitatis affectus uberius firmiusque excitentur, tum ut insignes indulgentiarum thesauri, quibus ditata est, nostris etiam fidelibus patefiant.

4. « Quum vero deipara ac immaculata virgo Maria, juxta Patrum et Ecclesiæ sententias, via regia Salvatoris appelletur et sit, ejus item purissimum cor via pariter regia ad sanctissimum cor Jesu merito censetur; ac proinde una cum sanctissimi Cordis Jesu societatibus dulcissimæ ac purissimæ *Virginis Cordis* societates pro peccatorum conversione amico fœdere jungantur. »* Magno etiam Nos gaudio afficiet, qui congregationes *Marianas*, in honorem B. M. V. institutas, puerisque in pietatis ac religionis operibus diebus festis detinendis specialiter intentas, ubi locorum ratio permittat, erigere curaverit; mirum quippe est quot quantique fructus in bonum juventutis ex ipsis deriventur.

*) *Conc. Prov.*

5. Etsi vero quam latissime istiusmodi societates propagari cupimus, nulla tamen Nobis inconsultis instituatur; nec socii admittantur nisi probabili morum honestate ac fidei sinceritate commendati; qui etiam curetur ut sodalitii regulas servent, et sacramenta frequentent, et probe noscant quas quibusque diebus indulgentias lucrari queant.

INDEX

Pars tertia — De ecclesiastica hierarchia.